HERMANNI BOUMAN

ORATIO;

ET INSTITUTA ACADEMICA, QUAE SEPTIMO DECIMO SECULO FUERUNT IN PATRIÂ, CUM IIS, QUAE NUNC IBIDEM SUNT, BREVITER COMPARANS,

ET MEMORIAM CELEBRANS

FREDERICI SIGISM. ALEXANDER, NICOLAI CORN. DE FREMERY, JOANNIS FRED. LUD. SCHRÖDER;

dicta publice
die III *m. Aprilis a.* CIƆIƆCCCXLV,
quum Academiae Rheno-Trajectinae regundae munus iterum poneret.

Accedit annotatio literaria.



TRAJECTI ad RHENUM,
apud J. G. VAN TERVEEN ET FILIUM.
MDCCCXLV.









HERMANNI BOUMAN

ORATIO

DE INSTITUTIS ACADEMICIS CAET.

HERMANNI BOUMAN

ORATIO;

ET INSTITUTA ACADEMICA, QUAE SEPTIMO DECIMO SECULO FUERUNT IN PATRIÂ, CUM IIS, QUAE NUNC IBIDEM SUNT, BREVITER COMPARANS,


ET MEMORIAM CELEBRANS

FREDERICI SIGISM. ALEXANDER, NICOLAI CORN. DE FREMERY, JOANNIS FRED. LUD. SCHRÖDER;

dicta publice
die III *m. Aprilis a.* CIƆIƆCCCXLV,
quum Academiae Rheno-Trajectinae regundae munus iterum poneret.
Accedit annotatio literaria.



TRAJECTI ad RHENUM,
apud J. G. VAN TERVEEN ET FILIUM.
MDCCCXLV.



PRAEFATIO.



Vulgo notum est, quae orationes ab Academiarum nostrarum Professoribus, vel munus suum auspicantibus, vel Rectoratu abeuntibus, habebantur, eas, inde ab ordinatis a. 1815 rebus academicis, in Annalibus, *regiâ auctoritate editis, reponi solitas fuisse. Verum, ante paucos hos annos, per aerarii publici penuriam factum esse accepimus, ut* Annales *illi, primum in longe breviorem molem contracti, tandem plane abrogarentur. Quam rem me valde doluisse ac dolere, non est quod dissimulem. Ne enim caetera bona attingam, quae ex conditis illis exstiterunt Promtuariis academicis; dictu difficile est, quam multas notitias,* Historiam literariam, *vel antiquam vel recentem, illustrantes, eo jam, quod significavimus, temporis spatio, laudatae orationes iisque non raro subjecta annotatio tradiderint, quarum memoria, non*

editis Annalibus, aut evanuisset aut certe obscurior ad nepotes perventura fuisset. Contra, patrum aetate, ejusmodi Horreorum academicorum defectus effecerat, ut haud pauca, quae cum Minervae sedium aut Professorum fatis conjuncta erant, obliterarentur vel, in aequalium dissensu, incertiore ratione ad posteros propagarentur. Quis enim ignorat, ut hoc uno utar, SIEGENBEEKIUM, in Academiâ Lugduno-Batavâ Literarum atque Historiae Neêrlandicae Professorem, Virum meritis scriptisque clarissimum, ubi Universitatis omnium, quae in patriâ sunt, celeberrimae historiam utilissimo instituto conscribebat, non raro testimoniis uti debuisse atque auctoritate libelli, quem olim ediderat SOERMANSIUS, in Goudrianiae pago sacrorum Antistes emeritus?

Nullo quidem tempore Doctores defuerunt academici, qui vel suo Marte, vel juvante Curatorum liberalitate, suas separatim ederent orationes, sive in utroque eo, quod dixi, genere versatas, sive defunctorum Collegarum fata narrantes ac merita celebrantes. Sed saepe me tristis docuit experientia et irritus quaerendi labor, quot minora ejusmodi scripta, nullâ majorum operum custodiâ septa, paullatim rarescant, pereant, in oblivionem abeant. Quae sors nunc certius etiam citiusque, quam olim, iis metuenda est: nam sigillum *illud* publicum, *quo* catalogi librorum, *qui venales prostant, singulis plagulis notandi sunt, non paucos impellit Bibliopolas, illorum venditionem moderaturos, ut libros ac libel-*

los, quibus non cupidos fore emptores putant, promiscue in turbam atque in obscuros conjiciant fasciculos. *Quo ipso more crebro fit, ut non paucis pretiosioris argumenti scriptis, et academicis et aliis, ibi locus paretur, ubi thus et piper venditur. Quae omnia cum ita sint modeste speramus fore, ut non diu publici aerarii penuria bonis Literis earumque imprimis Historiae adversari pergat. Etsi enim pauca confidentius affirmare soleo, hîc tamen benevolo lectori dicere non reformido:* Experto credas Ruperto.

Verum nolim in eam sententiam dicta quispiam accipiat, quasi ita haec, quam edere paro, mihi placuerit oratio, ut omnino ab oblivione vindicanda videretur. A cujus arrogantiae temeritate me longe remotum esse facile sibi persuadebunt, qui me cognitum habent, lectores. Et vero quae pauca de academicis patriae Institutis dixi, si cum ipsius argumenti dignitate atque amplitudine comparantur, quam levia sint et tenuia, nemo clarius, quam ego, videbit perspicietque. Nec tamen plura de cathedrâ dicere temporis brevitas permiserat ac funerum, quae memoranda erant, acerbitas. Potuissem quidem, fateor enim, quae dixeram postea copiosius explicare, et sic demum retractata lectori tradere. Verum, id si agere volueram, fuerat orationi disputatio *substituenda, cujus scribendae mihi, negotiis obruto quam plurimis, otium nunc non suppeditabat. Nec vero, quod nonnulli hodie facere solent plurium librorum*

editores, ita mea ipsius scrinia compilare placebat, ut vel alibi dicta hîc repeterem, vel alibi dicenda hoc loco anticiparem. (1)

Itaque multum ac diu dubitavi, edendane potius esset, an premenda haec, cui tam multa ad perfectionem deessent, oratio. In illam tandem sententiam meum animum inclinavit metus, ne pusilli ac timidi hominis esse videretur, quae in Academiae cathedrâ, tali de argumento, dicta erant, non item omnibus, qui legere vellent, palam dicere audere. Neque enim, hâc potissimum, quâ vivimus, tempestate, pavidis esse ac formidolosis iis expedit licetve, qui nec patriam, nec societatem sacram et literatam a calidioribus ingeniis conversam volunt ac perturbatam.

Verum altera haec eaque praecipua non premendi scripti caussa accessit, quod non voce tantum, citissime avolante, sed chartis etiam, paullo diutius certe manentibus, coram omnibus testificari cuperem, quam magni facerem Triumviros, quibus singulis multa debueram; quique, pro suâ singuli facilitate atque humanitate, non vulgari me complexi erant benevolentiâ. *Quam* amicitiam *dicerem, nisi eorum, qui hominum aut principum aut clarorum familiaritates jactare solent, ineptam gloriationem imitari vererer.*

---

(1) *In* Hist. Acad. Gelr. *Tom. I, de antiquiore Universitatum nostrarum ratione passim dixi; alia, huc pertinentia, alteri ejusdem operis Tomo reservans.*

Quâ igitur vel patientiâ vel benignitate me nuper dicentem multi audiverunt, eâdem et hi et alii Viri docti ac Commilitones amici scripto jam consignatam orationem legere velint, officiose rogo. Excusabunt autem, confido, tersioris amantes orationis, si hîc nonnulla minus probatae Latinitatis vocabula viderint usurpata, aut eâ sententiâ posita, quae veteribus ignota esset, aut vulgari potius, quam doctâ ratione scripta. Veluti ecclesia et ecclesiasticus; Universitas; Chemia pro Chymia aliaque his similia. Cavendum enim videbatur, ne nimio studio quaesita puritas orationis eam vel obscuram redderet, vel dilutam, vel etiam imperitis ridiculam. — Verum alia sunt, quae fortasse non ita paratam veniam inventura sint. Veluti quod, nescio quo errore, p. 34 Zoroastrem dixi, ubi Indica Philosophia potius nuncupanda fuerat; nec recte, p. 35, clarissimum ALEXANDER dixi BERNARDUM SIGISMUNDUM, ubi legendum est, quod postea, in ejus scriptorum notatione posui: FREDERICUS SIGISMUNDUS. Ne tamen nimis acriter et hos et alios errores meos (nam ne plures sint reformido) carpas, Lector benevole! scias velim, nunquam vehementius, quam his ipsis diebus, quibus orationem retractandam habebam et typis parandam, me illud pressisse δούλιον ἦμαρ, quod Homero auctore, ἥμισυ ἀρετῆς ἀποαίνυται. Quamquam servile jugum nunquam mihi illa fuit, ad quam aliquando Poëtae dictum applicuit WYTTENBACHIUS, Theologia; quam verae libertatis ac liberalitatis matrem potius dixerim, quam servitutis effectricem. Sed δούλιον ἦμαρ mihi solet esse

et nunc imprimis fuit, ne de afflictâ plerumque valetudine dicam, negotiorum illiteratorum, me fere obruentium, multitudo. Quo propensiore animo et Tu harum chartarum erroribus vitiisque ignoscas rogo, et ego Tibi ut neutro unquam servitutis jugo nimium Te depressum sentias apprecor!

Dabam in Academiâ Rheno - Trajectinâ,
d. XIX m. Junii a. MDCCCXLV.



Academiae Rheno-Trajectinae Curatores, Viri excellentissimi, gravissimi! Qui iis ab actis es, Vir consultissime!

Regionis Rheno-Trajectinae Gubernator, Vir excellentissime!

Artium et disciplinarum Professores, Viri clarissimi mihique conjunctissimi Collegae!

Aliarum vel Academiarum vel Institutorum Professores, Viri clarissimi! Quos inter Te conspicere mihi licet, Academiae Lugduno-Batavae Rector, Vir magnifice!

Lectores doctissimi, experientissimi!

Qui vel hoc in regno, vel hâc in regione, vel nostrâ hâc in urbe, sive rebus publice gerendis, sive justitiae tuendae, sive militiae faciendae praeëstis, Viri spectatissimi!

Doctrinae Christianae Interpretes singulorumque coetuum Pastores, Viri valde venerabiles!

Doctores eruditissimi!

Academici Juvenes ornatissimi, vel hujusce vel aliorum Minervae templorum cives, in quibus patriae spes reposita est et exspectatio!

Cives denique et hospites, suo quique loco honorandi!

Adhuc *sceptra* videmus, magnae illius, quae olim Academiis fuit, dignitatis honorisque monumenta ac testimonia. Adhuc *Rectorem* conspicitis, non disertum quidem illum, sed Rectorem tamen, solenni die verba facturum, ac magistratum annuum ejusque insignia rite designato successori traditurum. Quo igitur vel maxime tempore Heracliteum illud dictum: *cuncta fluunt*, quotidiana confirmat omnium experientia; *antiquum* adhuc *obtinet* quodammodo vetusta haec doctrinarum Universitas. Nondum omne illius decus defloruit aut consenuit obsoletum. Nondum illius vox et lingua plane obmutuit, nec per recentissimae sapientiae scilicet! omnia meliora facere volentis, clamores obruta conticescit. Quod ejusmodi spectaculum est, ut ad eorum, quae patrum aetate fuerunt, temporum memoriam repetendam sponte nos adducat, atque ad illa nostris cum diebus conferenda alliciat. Quae ipsa comparatio mihi dicendi subministrabit argumentum, Vobis, ut spero, Auditores humanissimi! non omnino displiciturum. Cum praesertim ita potissimum instituta oratio non incommodam nobis datura videatur opportunitatem, *et* universe de academicis

nostris proximi hujus anni rebus narrationis aliquid interspergendi, *et* vero singulatim merita eorum laudandi Virorum, quos quidem abiisse lugemus omnes, quorum autem praestantiam, ut par est, celebrare, si forte possit Medicus aliquis aut Philosophus eloquentissimus, ego certe non possum, et aliud studiorum genus secutus, nec a dicendi facultate et copiâ paratus.

Tripertita igitur nobis erit omnis haec qualiscunque oratio, quae, si nullâ lucebit arte aut exquisitiore doctrinâ, populari certe perspicuitate commendetur velim. Ejus enim *prima* pars *Institutorum academicorum*, *quae septimo decimo seculo fuerunt in patriâ*, *cum iis*, *quae nunc ibidem sunt*, brevissimam aliquam *habebit comparationem*. — *Altera* praecipuam illam *praestantiae dotem*, *quâ* maxime celebratissimi quique *seculi memorati Doctores excellebant*, *ne nunc quidem*, in nonnullis certe eorum successoribus, *desiderari*, *trium*, quos deflemus, *Professorum exemplis* allatis, *probare* conabitur. — *Tertiâ* tandem parte, *si quae* vel dicenda *supererunt* vel agenda, academico *huic anno* aut solenni *huic diei propria* ac priva, haec *paucis* eadem *complectetur oratio*. Quam eâ patientiâ audiatis rogo ac benevolentiâ, ut ab argumenti dignitate dicentis tenuitati et infirmitati veniam apud vos et excusationem paratam esse experiri mihi contingat!

I.

Eo, quod memoravi, septimo decimo seculo, ut hinc ordiamur, rariores adhuc per Europam Academiae florebant, et, nisi omnium, plurimorum certe populorum voluntates ad novas, sicubi opus erat, condendas torpebant. Verum nihil studiosius eâ tempestate nostri egerunt majores, quam ut, doctrinarum Universitatibus aut altioris certe ordinis sedibus fundandis, exemplo praeirent exteris et veluti signum tollerent. Atque haec profecto, si quae alia, res fuit, quâ pro virili parte urgendâ et curandâ nec ab ipsis sociis vinci se facile paterentur singularum *Regionum Foederatarum* Ordines ac Proceres. Ad almam enim matrem Leidensem et Franequeranam, quas superius extulerat seculum, tres in eâdem hâc patriâ jam accesserunt aliae Academiae, quarum nullam, ante ipsam eversam Batavorum Rempublicam, exstinctam esse novimus. Sed *Athenaea* etiam succreverunt, *Amstelodamense*, *Daventriense*, *Bredanum*, *Noviomagense*, quorum *illa* ad hunc usque diem perpetuata sunt, et ut diu perpetuentur bonarum Literarum caussâ vovemus, *haec*, veluti plantae, quae non satis altas egerant radices, exaruerunt. (1) Quid quod non raro

(1) Quantâ, sed quam irritâ virium contentione, Sec. XVIII dimidiato, Academiam fundare conati sint *Zeelandi*, plerisque notum est. Vidd. J. G. TE WATER, *narratio de rebus Ac. L. B. Sec.* XVIII *prosp. et adv.*, p. 70 sqq. et qui ab eo laudantur; collato cl. SIEGENBEEK, *gesch. der Leydsche Hoogeschool*, I. 280. — De frustrato consilio, a. 1710 et 1711, Hagae Comitum *Athenaei illustris* condendi *ibidem* quaedam monuit idem TE WATERUS.

aliarum urbium patriarum Moderatores, quos ab ejusmodi Institutorum condendorum facultate aerarii tenuitas excluserat, si forte doctiorem aliquem habebant sacrorum *Antistitem* et scholae *Rectorem* et civitatis Archiatrum *Medicum*, variae doctrinae *Professores* illos dixerunt creâruntque Triumviros, ut elegantioris eruditionis aliquos certe fructus civibus suis percipiendos offerrent. Quae tanta eorum studia ne forte quis miretur; universe id sibi persuasum habuerunt, quos aequalibus perspicaciores illa quidem aetas censebat, consentientes fere omnes, quo plures bonae mentis officinae forent et seminaria, eo latius per patriae fines doctrinarum lucem radiosque manaturos esse; — eo paratiorem faciliorem que lucis illius hauriendae atque imbibendae juvenibus ingenuis opportunitatem esse futuram; — tandem eo expeditiorem Doctoribus ipsis occasionem exstituram minoribus in Lyceis ita Professores agendi, ut Academias aliquando ornandi facultatem ac peritiam et sibi compararent et studiorum patronis probarent.

Nec vero solos fuisse, qui ita sentirent, majores nostros existimetis velim, Auditores! Eadem enim illa, quae verbo tetigi, ineunte hoc ipso seculo, publicâ ex cathedrâ urgentem, atque incomparabili dicendi vi et ubertate propugnantem adolescentulus audivi Joannem Melchiorem Kemperum. (1) Qui quidem

(1) Hujus et memoratam orationem et aliud scriptum non minus memorabile laudavi ad *orationem vernaculam*, quam *Annales Ac. Rheno-Traj.* a. 1836 - 1837 consignârunt, p. 23.

Vir, in paucis magnus, quam plane sibi constaret, aliquot post annis, omnibus apparuit. Quo tempore novae legis academicae, quae antiquam sentiendi rationem in plerisque redoleret referretque, constituendae suasor fuit, et postmodum constitutae laudator exstitit. Verum, quod mireris, eorum haud pauci, qui KEMPERUM laudibus efferunt et praedicant, non immeritis profecto, ejusque civilem imprimis sapientiam omnibus imitandam praecipiunt, quasi nihil quidquam his de rebus viderit ille, ita in alia omnia abeunt et KEMPERI menti adversantia. Eâ quidem isti vivunt aetate, quae una jam suffecit ad *quinque* illorum, quae Minervae majores dicaverant, templorum *bina* funditus tollenda. Verum enimvero ne haec quidem Academiarum clades, quae ipsius adeo Deae *Siwae*, quam *omnia destruentem* finxit *Zoroaster*, furorem placare posse videatur; ne tanta quidem illa, inquam, doctrinarum clades horum cogitationibus satisfacit vastatricibus et consiliis destruentibus. Majora etiam et pretiosiora Deae deletrici sacrificia immolanda putant, donec immolandum nihil quidquam supersit. Quos quidem coram Vobis, Viri Literarum amantissimi! refutare ineptum sit, quos reformidare oppido absurdum; regnante praesertim GUILIELMI TERTII, constantissimi hujus Academiae Patroni, (1) Ne-

---

(1) Huic quantum illa debuerit, luculenter explicuit HERINGA E. F. in or. *de auditorio Acad. Rheno-Traj.* caet. atque adjectâ annot. p. 14. 183 sqq. Vidd. illius *Annales* ad a. 1824-1825. Si tanti est, cf. nostra *or. cit.* p. 13 sq., vel potius laudatus ibi isque omnino legendus GRAEVIUS.

pote gloriosissimo, eodemque Filio Guilielmi primi, benevolentissimi ejusdem Instauratoris. — At mihi, istorum aestus et molimina contuenti, duo fateor aenigmata objici, quae Oedipo alicui solvenda ponere velim. Longe quidem abest ut eo, quod dixi, seculo faverent Academiis Magnates aut Reipublicae Proceres omnes. Nam ne tunc quidem bonarum Literarum deerant contemptores, qui *Midam*, stolidissimum illum Lydorum Regem, generis sui auctorem venerari viderentur. Verum, ut quique magis *liberales* et esse et haberi volebant, ita ardentius Palladis sacrariis cupere, ita pertinacius eorum et caussam agere et patrocinium suscipere. Nunc contra, qui ab eximiâ quâdam *liberalitate* praedicari, qui altius, quam hominum vulgus, spectare et sapere videri volunt; illi ipsi sunt, nec alii, qui antiquata scilicet! Instituta solo aequari velint. — Tum patres, quâ erant constantiâ, nec difficillimis temporibus, ubi penitus exhausta publica erant et privata aeraria, Academiarum vadimonium sibi plane deserendum existimârunt; id est, ne illâ quidem tempestate, quâ nulla, memorato seculo, iis asperior fuit et magis nefasta, ubi *Ludovici quarti decimi*, Francogalliae Regis, ejusque sociorum invasio et immanitas, cum universae Reipublicae, tum iis, quae eam ornabant, doctrinarum sedibus praesentissimum intentaverat exitium. Enimvero qui nunc cum maxime eruditae civitatis novatores sese jactant et emendatores, quod tempus totam fere Europam pacatam videt et pacis artes alentem, illud ad abigendam e templis, quae sibi vindicavit diuque obtinuit,

Minervam (horrendum dictu!) unice opportunum censent et idoneum!

Sed alii sunt, qui, de Academiis continuo tollendis fortasse desperantes, ita discerptas eas et divulsas malint, ut peculiares iis *Scholae* substituantur, singulis aut praecipuis certe cognitionis humanae ramis propriae privaeque illae. Qui quidem ante nos fuerunt doctrinarum *Universitates* condendas et identidem amplificandas curârunt, quae *universas*, quibus subtilior eruditio cernitur, disciplinas *conjunctim* docerent et propagarent. Putabant enim sororum instar Musas esse, quae unâ in sede juxta morantes, ex amico hoc contubernio mutuoque auxilio multos utilitatis fructus capere possent. Verum, eaedem si solae habitarent suoque in domicilio sine comitibus regnarent, timebant ne quando fieret, ut, suis elatae bonis, illiberaliter insolescerent, nec aliam, nisi *suam*, *doctrinae* nomine dignam reputarent scientiam. Paucis ut rem complectar; sicuti *Ciceronis* nobilissima quaeque effata, tanquam digitos suos, cognita habebant, elegantioris ingenii, sed priscae simplicitatis, qui tunc erant, homines; ita nusquam verius quid nec sapientius Tullium dixisse existimârunt, quam ubi » *omnes artes*," ait, » *quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quâdam inter se continentur.*" (1) Quis

(1) Vix opus est ut locum laudem, qui invenitur in *or. pro Archia Poëtâ* prope initium.

igitur mirabitur, ita animatos parentes nostros Ciceronis aliorumque apud Graecos et Romanos Philosophorum auctoritatem secutos esse, adeoque commune illud disciplinarum vinculum non disrumpendum censuisse, sed firmandum, non solvendum, sed adstringendum? Cui non novum accidat et inexspectatum, si forte relatum legeret, quas artes arctâ quâdam cognatione contineri persuasissimum sibi habebant, easdem, quasi nullâ se invicem affinitate attingerent, illos locorum sediumque intervallis disjungendas putâsse et segregandas? Cum praesertim nonnulla *subsidia literata* esse haud ignorarent, quae, in unius potissimum disciplinae gratiam concessa, aliis etiam ita prodesse possent, si illius in propinquitate hae collocatae forent. — Nec profecto a Tullio suisque a majoribus dissenserunt nostri cives paullo liberaliores omnes, qui, *Francogallos* dominos habentes, id potissimum reformidarent, ne illi, avitis oppressis *Universitatibus*, peculiares suas *Scholas* nobis obtruderent ac *Lycea*; per quae invecta paullatim *retrogressuram* esse bonarum artium *culturam* certo praenuntiabant augurio. Quorum igitur unanimi voce suffragante, factum est, ut HERINGA et MUNTINGHIUS, ut ille, quem dixi, KEMPERUS, ut postea HEUSDIUS, sapienti consilio a GUILIELMO PRIMO *instauratas* esse Academias et *amplificatas*, non detruncatas aut, Procrustis lege, decurtatas, palam profiterentur ac praedicarent. (1) — Sed

(1) Videantur quae laudati priore loco Triumviri in orationibus dixerunt, quibus habitis instauratas singuli inaugurârunt Acade-

alia omnia et contraria iis nunc placent haud paucis, qui sibi et consiliorum sociis longe sapientiores videntur quam illi, quos memoravi, Viri; quorum fortasse mentes et oculos longa multorum annorum vita academica et experientia ne verum cernerent occaecaverat. Nec vero illis irascamur oportet novae prudentiae jactatoribus: nam puerulorum instar sunt, quibus quae splendent arrident et blandiuntur. (1) Quocirca, ut hoc uno utar, si eorum praevaleat arbitrium, suppressis aut lentâ tabe enectis *Aesculapiis Ordinibus* academicis, ipsius metropoleos intra moenia, *Nosocomium* aedificare velint, amplum et ingens, ad cujus late patentia atria et cubilia plures una Medicinae Professores quotidie solenni pompâ progrediantur, longas post se trahentes Studiosorum catervas; sicuti olim ovantes aut triumphantes in Capitolium escendere solebant Imperatores Romani. Quod sane eo pulchrius foret eoque majore omnium admiratione dignum spectaculum, quo minor numerosis illis artis salutaris alumnis esset facultas aegrotorum *lectulos*, nedum ipsos aegrotos, conspiciendi. Quid caeteris de disciplinis iidem moliantur sapientes, quomodo has quoque ipsas ex *Universitatum*, quâ teguntur, ob-

---

mias; et quae Heusdius passim docuit in praeclaro illo opere: *Brieven over den aard en de strekking van hooger onderwijs*, Utrecht, 1829. Quae epistolae, a Viro non magis docto, quam liberali scriptae, ab omnibus consulendae sunt, qui de institutione academicâ ita *judicare* volunt, ut ne coecos imitentur, de coloribus statuentes.

(1) Cf. Heusdii *or. de pulcri amore*, (in *Annall. Ac. Rheno-Traj. a.* 1817-1818) p. 2-4.

scuritate in suarum *Scholarum* lucem evehere nitantur, tum dicemus, ubi plenius consilia sua ad omnium notitiam explicuerint.

Verum, his nunc missis, nostra bona cognoscamus, Auditores! prae quorum copiâ *seculo*, quod comparamus, *septimo decimo* curta profecto erat et nulla fere supellex literata. *Bibliothecam* nobis paullatim succrevisse, bonorum librorum varietate et multitudine conspicuam, nemo Vestrum ignorat. Sed quanta et quam insignia, postremis imprimis hisce annis, incrementa ceperit illa, omnes propediem intelligere poterunt, *praefatione* edocti, accurate et eleganter scriptâ, quam *catalogi supplemento*, jam typis impresso, praemisit Goudoeverius, Vir clarissimus idemque illius Praefectus vigilantissimus. Mollii certe et Utenhovii Heemstedii, Virorum praestantissimorum, munificentiâ legatisque librorum *physicorum* atque *astronomicorum* tantam ea copiam acceptam tenet, quantam paucissimae vel nostratium vel exterorum Bibliothecae. Verum quae luculenter explicuit Collega, hîc repetere nihil attinet. (1) — Quando igitur modo antea *Hippocratica* tetigimus sacra, mecum laetemini, Palladis

(1) Quam ardenter et Heringa cuperet et Heusdius, ut novis identidem donis oblatis *Bibliothecam* nostram locupletare pergerent Literarum amantes, ex iis apparet utriusque Viri immortalis vel scriptis vel dictis, quae laudavimus ad *orationem vern.* supra memoratam, p. 37. Quod si hic repeto, facio, sperans fore, ut postea etiam a multis, qui utriusque memoriam debite colunt, eorum monitis, datâ commodâ opportunitate, mos geratur.

Rheno-Trajectinae fautores! *medicis* illius Studiosis, hoc potissimum tempore, magnam morborum varietatem cognoscendi et observandi commodas paratas esse opportunitates. Gaudeamus neque ab iis, nec a Commilitonibus *Philosophiae Naturalis* cupidis, hâc in Musarum sede, frustra quaeri, quae, quo felicius *Chemia* et *Botania* et *Historia Naturalis* addiscantur, ad Praeceptorum institutionem illustrandam ac confirmandam requiruntur, officinarum, musaeorum, horti denique botanici, subsidia atque adjumenta. Cujus rei quo testatior Vobis fides sit, ex iis, quae a clarissimis relata Collegis accepi, pauca, age! narrabo: nam ne multa, temporis angustiae vetant. Superiore igitur anno, in Academiae Nosocomio, centum fere aegris, in maximâ aetatum, nec minore malorum diversitate versantibus, consciis testibusque Studiosis, Machaonicam curam adhibitam esse comperimus; tum eo, quod vulgo audit, *Polyclinico* quingentis adeo morbidis. Deinde, eodem temporis spatio, cum *clinicum Chirurgiae* institutum, tum *ophthalmologicum*, Aesculapium colentibus juvenibus plurimorum visendorum et suâ subinde operâ curandorum copiam fuit aegrotorum, qui, propter oculorum infirmitatem aut externa alia male affecti corporis vitia, variis ex patriae regionibus huc allati erant. Quorum nonnullis, gravibus institutis rarique exempli, quas Chirurgi vocant, *operationibus*, salus quaerenda erat. — Item, quâ conditione utentes *Lucinam* olim invocare solebant mulieres, in eâ versatae multae, memorato in Nosocomio, salutaris artis opem et quaesierunt et invenerunt. — Ne porro

de *physico museo*, pretiosioribus denuo nonnullis instrumentis adaucto dicam; instituta nostra mecum attendite, *Chemiae* studio adaptata et inservientia. Ad quod studium juvandum si nunc jam optime comparata sunt; ea brevi ad eum modum amplificatum iri certa nobis spes ostenditur, ut haec intra moenia chemicum exsistat *Laboratorium*, quod earum, quae alibi in hoc genere inveniuntur, doctarum officinarum ne uni quidem praestantiâ sit impar aut secundum. (1) — Tandem ad *hortum botanicum* oculos convertite, dudum herbis seminibusque locupletem, in quem autem, proximo potissimum anno, et aliae multae haud exigui pretii et exquisitae raritatis *tropicae* plantae sunt illatae. Quae omnia ejusmodi sunt, Auditores! ut justam nobis spem facere videantur, quae vel memorato in horto, vel astronomicâ in turri vel alibi adhuc desiderantur aut resarcienda restant, iis medicam manum et emendatricem non nimis diu defuturam esse.

Sed, ut ex diverticulo in viam, id est ad avitorum temporum cum nostris collationem redeamus; videte quaeso, quam singulari olim legum et institutorum, quibus regebantur, *aequabilitate* et *perpetuitate* patrum Academiae cernerentur. Quâ enim ratione, sae-

---

(1) Olim jam ex Gruxsii, Medici primarii, apparatu valde locupletatam esse hujus studii suppellectilem, docuit Mollius, in *or. de vitandâ, in Astronomiae studio, fingendi temeritate* caet. p. 33 sq. Vidd. *Ann. Ac. Rh.-Traj.* a. 1818-1819.

pius memoratâ tempestate, ad *Leidensis* fere exemplum et normam, singulas Foederatarum Regionum Ordines constituerant; eodem universe modo adhuc eas ordinatas invenerunt, qui, undecimo hujusce seculi anno, ad eas cognoscendas et invisendas a Francogallorum Imperatore delegati erant, Cuvierius et Noëllius. Magnae subinde patriam concusserant turbae commotionesque civiles; sed quae illarum tamen leges ac temperationem vix aut ne vix quidem affecerant. Principum quidem *Arausionensium* ubi caussa triumphaverat; continuo jam eorum nomina in *diplomatum formulis* honorifice nuncupari; auctoritas in ornandis cathedris Professoribusque designandis coli et valere; caeterum intacta plane Palladis sacrariorum oeconomia manere. Verum hoc imprimis illorum sortem recolenti mihi, puto et Vobis, memorabile videtur. Ne *liber* quidem *Batavorum populus*, qui, ab ineunte anno superioris seculi nonagesimo quinto, *regnare* dicebatur, nec, qui ei praeërant, rerum Moderatores, quamvis non raro multa novandi studio ducti et abrepti, doctam illam, quam dixi oeconomiam, ullâ in patriae parte, vehementius convellere et commovere voluerunt, aut, si quando volebant, potuerunt; obnitentibus identidem plurimorum civium, antiqua sua Instituta inviolata cupientium, voluntatibus. Neque enim ante aequabiliter imposita, sexto hujus seculi anno, Gogelii auspiciis, *tributa* et vectigalia *generalia*, penitus sublatae sunt et abrogatae Academiarum *praerogativae;* nec prius antiquata *jurisdictio*, quam, quinquennio post, nostratium jura

Napoleontici Codices regere inceperant. (1) Quid multa? sex ea annorum lustra, quae post recentissimam illarum ordinationem nobis abierunt, plures in eas intulere mutationes, quam solida fere bina, quae praecesserant, secula. Quod ad notanda tantum ac discernenda tempora dico, non ad haec vel illa aut laudanda aut vituperanda. Nam non magis committam, ut morosum me audiatis acti temporis laudatorem, quam recentissimi miratorem effusum.

Stabilitatis illius, quae Batavarum olim Universitatum propria pene nota fuit, si forte caussas exquiritis, Auditores! ipsius quidem gentis, apud quam vigebant, sedatam indolem referebant atque ingenium, mutationum non sane amantissimum. Unde factum est, ut ne hoc quidem, quo vivimus, tempus, quamvis conversionum ferax, antiquum nobis habitum et veluti colorem plane demere potuerit et abstergere. Verum, quod imprimis tenendum, non poterant multae, quae eruditionis officinas moderarentur, *mutari* leges, quoniam paucae tantum *latae* erant; non multa decreta academica *abrogari*, quia *rara exstabant;* quae quidem ejusmodi essent, ut interiorem attingerent doctrinarum aut tradendarum aut percipiendarum rationem. *Statuta* forte, in hoc genere olim edita, mihi ostenditis et objicitis? Multa iis de Senatûs

(1) De consiliis tollendarum vel certe labefactandarum Academiarum, quae, inde a converso a. 1795 patriae statu, inita sunt, sed diu successu caruerunt, legi possunt, quae publicis ex monumentis retulimus in annot. ad memoratam *orat.* p. 18 sq.

academici auctoritate et jurisdictione consignata video, multa de Professorum et Studiosorum juribus ac praerogativis; de scholis vero, quae ab illis habendae essent, ab his adeundae, item de studiorum ratione, successione, tempore, probatione, quam paucissima sancita et praescripta. Nimirum admirabilis quaedam erat, in temporum illâ simplicitate, cum docentium, tum discentium *libertas*, magis tamen illa re et factis a Proceribus adserta, quam disertis proclamata verbis et edictis. — Sicuti autem rerum civilium judices, ubi legibus scripto mandatis, vel Romanis vel patriis, destitutos se videbant, ad *rite receptarum consuetudinum* normam caussas dirimere consueverant; idem fere Academiarum Professoribus ac Studiosis usu venit, ut, quem docendi discendique morem aequi et boni sensus quidam ac spectatum vitae academicae consilium dudum commendaverat ac sanxerat, ab eo non facile longe recederent. Quae tamen consuetudinis receptae veneratio ne praestantiorum Doctorum aut discipulorum altiorem reprimeret et aquilinum volatum, ipsa illa cavebat, quam dixi et quam repeto, (una enim praesidebat!) *Libertas.* (1) — Sed inchoata sunt et manca humana omnia, in iisque nihil ab omni parte beatum, ubique bonis affinia mala. Veluti laudatam libertatem, ne de aliis illius incommodis dicam, ita non raro in licentiam convertebat adolescentum levitas, ut, nondum accuratiore Literarum ac Philoso-

(1) De *libertate* academicâ dignus est qui ab omnibus consulatur Heusdius, in *epistolis* citt. p. 176 sqq. p. 205 sqq.

phiae studio subacti, continuo se Theologis aut Jureconsultis aut Medicis iis doctrinis imbuendos traderent, quas cum *vitâ*, sibi in societate sacrâ aut civili agendâ, proximo et indivulso nexu cohaerere opinarentur. Hanc igitur praeproperam imperitorum festinationem, sapienti sine dubio consilio, retardandam et cohibendam curârunt novissimae, quarum cum maxime viget auctoritas, leges et decreta. (1) Quamquam pristinae libertatis aliquod certe temperamentum tum Professoribus, tum Studiosis illa reliquerunt. Sicuti vero, ante hos triginta annos, antiquam patriarum Universitatum rationem, solutiorem illam, vituperando modum excesserunt nonnulli; haud aliter nostris his diebus adstrictiorem, quam quintus et decimus hujus seculi fundavit annus, earum ordinationem contemnendo ac traducendo ejusque bona dissimulando, iniquissimos sese multi praebent. Qui sciant velim et perpendant acerbi vituperatores, tum demum consummatam perfectionem habituras esse doctrinarum sedes, cum *Genios coelestes* ut earum *Curatores* agant et *Professores* et *Studiosos* exoraverint!

Velim, Auditores! eâ, quâ coepi, viâ pergere, atque institutam plenius pertexere antiquiorum temporum et nostrorum comparationem. Sed multa Tu praecepisti, Holti clarissime! quo die, aliquot abhinc annis, in ipsâ hâc cathedrâ doctissime ac facundissime

---

(1) Vid. Heusdius, modo antea laudatus, p. 196 sqq.

Te disserentem audivimus *de liberalitate majorum nostrorum, quae Academiis instituendis augendisque cognita est.* (1) In aliis haud paucis Tu nobis otium fecisti, ROYAARDSI clarissime! a quo, ante hoc biennium, in illustrissimo consessu, ipso Rege serenissimo auditore, dicta oratio approbantes habuit et admirantes bonos omnes, solos obtrectatores eos, quibus laudatoribus uti nolebas. (2) Nec vero, quod caput est, mihi committendum, ut, longius tractâ oratione, pios eorum Manes negligere cogar, quos utinam non deflendos haberemus! Quâ igitur indulgentiâ et benevolentiâ Vos oratorem prosequi confido, quem eventorum obruit acerbitas; mihi permittetis, ut quae, si fata sivissent, uberius declarare volueram, deinceps verbo tantum tangam, et suspicanda potius tribuam, quam exponam.

---

(1) Habitâ oratione, quae edita est in *Annall. Ac. Rheno - Traj. a.* 1835 - 1836.

(2) Vid. *Tijdschrift van het Kon. Nederl. Instituut*, D. III, St. 1, (*Amst.* 1843) ubi Collegae cl. oratio exstat, quae vernacule inscribitur: *Redevoering over de aankweeking van den echt wetenschappelijken geest, onder eene natie.* Ibi et alia et haec leguntur, quae omnino cum supra a me dictis conferantur velim: » *Wij* » *beklagen* — *het Nakroost, waar ook uit het Volk de stemmen* » *uitgaan, die gaan berekenen, met hoe* weinig *Scholen men toe* » *kan, om in de behoeften van den Staat te voorzien, als waren* » *het Fabrieken of Werkplaatsen.* — *Neen! wil men voortdu-* » *rend, gelijk het was bij onze Vaderen, de beschaving en ver-* » *lichting des geheelen Volks aankweeken, dan mogen in Neder-* » *land* meerdere *Universiteiten en wetenschappelijke Scholen die* » *stralen van beschaving en volksverlichting* van vele zijden, en » aan verschillende oorden des Vaderlands, *doen afdalen op het* » *geheele Volk!*"

Permagnus igitur fuit, patrum aetate et voluntate, ac fidem fere superans *Academiarum honos* et dignitas favorque, qui cum aliis multis apparuit rerum documentis, tum concessis, quae vulgo vocabantur, *privilegiis* ac *foro privilegiato.* Quo tamen *foro*, quod, barbaro tempore natum, barbarâ voce dixi, semper caruit, et non invita caruisse videtur, Rheno-Trajectina haec Pallas. (1) Nec vero nos, quae tempora nobis vel antiqua inviderunt, vel recentiora abstulerunt, postliminio petimus ambitiose aut repetimus. Nam ibi optimum jus esse, ubi omnibus aequa jura sunt, nobis persuasum est. Vobis autem, exoptatissimi Commilitones! studiorum duces esse malumus atque amici, quam judices. Nec valde indignamur, si multi

---

(1) Hic valde memorabilia mihi dicta videntur CORNELII VAN ECK, qui, anno 1693-1732, in Academiâ *Rheno-Trajectina* celebratissimus fuit Juris Antecessor. » *Quâ in re*," (ita ait ille de non concesso foro privilegiato) » *tantum abest, ut aliquid detractum sit* » *Ordinis nostri* (professorii) *dignitati, ut potius sit, quod et* » *nobis gratulemur, et amplissimis Viris gratias habeamus, quod* » *nos hâc auctoritate animadvertendi in petulantiae juvenilis* » *commissa liberaverint et immunes esse voluerint, eamque, tota* » *quanta est, sibi receperint ac reservaverint; quâ, tantâ cum* » *prudentiâ, justitiâ et aequitate utuntur, ut Academiae nostrae* » *cives, vel virtutis amore vel formidine poenae, compositis et* » *politis, exactis frugalitatis lege, moribus, nec mentis calorem* » *obruant vino, nec stringant infesta arma et tela minantia te-* » *lis, nec rixis, pugnis, tumultibus et insanis ac inconditis* » *clamoribus turbent tranquilla silentia noctis, nec cuiquam mor-* » *talium damnum injuriâ inferant, quo in aliis Academiis, in* » *quibus jurisdictio mandata est Collegio Professorum, nihil est* » *frequentius et magis quotidianum.*" Haec ille, in *orat. de religione et pietate veterum Juriscoss.* (*Traj. ad Rh.* 1717) p. 46 sq. Cujus loci dicta ita reponenda duxi, ut de eorum ἀκριβείᾳ historicâ judicium lectoribus integrum relinquerem.

nos hodie iis aequiparandos opinantur hominibus, qui manuum tantum dexteritate digitorumque velocitate civium commodis utcunque prospiciunt. Quid quod exteros, qui ad nos advolant, *pictores*, *musicos*, *comoedos*, *mimos* tam effuso honore in coelum ferunt aequales haud pauci, quanto ne GERARDUM quidem NOODTIUM aut HERMANNUM BOERHAVIUM aut ALBERTUM SCHULTENSIUM, si ex coelo huc rediissent, dignos existimarent! Sed ne nos invidere quis putet aut aemulari celebratis illis artificibus. Vobis enim vivere, O Commilitones! et Musis et posteritati, id satis superque nobis honorificum censemus. — Verum, quos nunc Professores Academiae tenent, longa nos aliquando teget mortis caligo. Non nostrâ igitur caussâ dico, sed bonarum Literarum, sed Reipublicae. Caveat oportet consilio, monitis, auctoritate, ut prudentior quisque est et patriae amantior; (quod faciet ipso favente et suffragante REGE optimo) caveat, inquam, ne in eum tandem locum res deveniant, ut eorum, qui exquisitiore doctrinâ sint, et ampliore aut lautiore vitae conditione utantur, nemo facile nobis succedere velit, atque hae igitur cathedrae proletariis aliquando sint implendae hominibus, aut acerbissimis quibusque diariorum politicorum scriptoribus emeritis atque obsoletis!

Vos certe, Curatores amplissimi! vel nemine monitore, quo maximo poteritis studio et constantiâ, tanta haec damna a Musarum sedibus avertetis. Quarum salus quantopere Vobis curae cordique sit, generosa prodidit Vestra Collegarumque Vestrorum magnanimitas,

quae, suo commodo posthabito, publicum tantum bonum se spectare luculenter nuper demonstraret. (1) Illa enim nisi obstitisset et cavisset Vestra magnanimitas; nunc jam Rectori mihi, pro *Curatoribus*, fortasse *Academiae Cancellarius*, aut *Magni Magistri* aut *Inspectores*, aut nescio quae alia barbara nobisque insolita nomina compellanda forent. (2) — Magno olim honore *Curatorum Collegia* condecoravit majorum sapientia, sed magnâ etiam rerum gerendarum facultate auxit ac potestate. Quo tempore ipsi adeo Principes Arausionenses, quamvis summis in Republicâ muneribus splendidi et eminentes, id sibi imprimis honorificum existimabant, ut *Academiarum Curatores* dicerentur *magnificentissimi*. Vos, Viri spectatissimi! etsi in dissimillimis versati rerum adjunctis, animis tamen ac voluntatibus priscis illis Literarum Patronis simillimos Vos ostendistis. Quo ardentius singulis Vobis tam longum, si Deo placuerit, ac tam felicem vitae usum apprecamur, quam nuper octogenario Vestro nostroque gratulati sumus Lyndeno Lunenburgio; Tibi, inquam, venerande Senex! quem non magis stirpis antiquae decus illustrat, quam antiqua pietas et virtus et humanitas et omnes demerendi studium constantissimum!

---

(1) Conferri possunt quae de memorabili illâ Curatorum generositate diximus, recentia cum antiquis comparantes, in annot. ad *Historiam Acad. Gelricae*, vernacule scriptam, T. I. p. 315.

(2) Cff. Heusdii *epistolae* laudd. p. 200.

Utroque, quod proxime abiit, superiore seculo, *exteros* multos patriae Universitates habuere cives, quos Literarum amor, vel ab extremis Europae finibus, ad haec bonae mentis emporia conduxerat; *Germanos* quidem numero infinitos, sed item *Francogallos* et *Anglos*, *Hungaros* et *Polonos*, *Danos Suecosque*, aliarum gentium alios. (1) Quod magno documento est, ipsis aut rariora tum fuisse aut minus nobilitata Musarum sacraria, ea vero, quae in illarum honorem nostri condiderant patres, illustri floruisse nomine et existimatione. Jam vero diu esse, quod alia tempora alios pepererint exterorum mores novistis omnes. Nostra quidem haec Pallas adhuc non contemnendum aliquem numerum *Germanorum* habere solet retinetque, Theologiae Studiosorum, sed quorum nonnullis, ut huc venire possint et aliquamdiu apud nos morari, plura vincenda sunt obstacula et impedimenta, ab iis objecta, a quibus objici non oportebat. Caeterum, si paucos alios exceperis alibi degentes exteros, *nostrates* fere sunt, quibus impraesentiarum civibus utuntur Neêrlandorum Academiae.

Hos autem ubi cum iis, qui patrum memoriâ fue-

---

(1) Non nimis ample me haec dixisse, sed justo tenuius potius, ex iis apparet, quae de Academiâ *Leidensi* narravit Te Waterus, l. c. p. 53 sqq. coll. Siegenbeek, l. c. I. p. 67. 200. 226 et alibi; — de Academiâ *Rheno-Trajectinâ* Le Longius, Ravius aliique, quos laudavimus in annot. ad *orat.* memoratam, p. 15 sq. — Hermanni Venemae, Theologi *Franequerani*, qui *Hungaros* permultos habebat discipulos, » *tantam in Hungariâ fuisse celebritatem narrant, ut* » *omnibus fere, vel pueris, esset nomine notus, et omnes eum* » *tanquam patrem venerarentur.*" Ita J. H. Verschuir, in illius *elogio*, p. 37.

runt, comparamus, iniqui simus aut rerum ante actarum inscii, nisi memorabilem aliquam paullatim exstitisse morum ac studiorum emendationem, humanitatis et culturae progressionem, lubentes laetique agnoscamus. Ex antiquis quidem, quas diximus, doctrinae sedibus nullo non tempore multi prodierunt juvenes, quorum eximia atque excellens eruditio literatae civitati foret ornamento; longe plures alii, qui, in dispari ingenii modulo, non minore studiorum industriâ vitaeque honestate laudabiles essent et commendabiles. Verum de dissolutioribus haud paucorum moribus non raro conquerentes antiquae Reipublicae *Curios* et *Catones* nobis ostendunt ac commonstrant temporum illorum monumenta. Nec vero, proh dolor! dissimulare licet, hac ipsâ etiam, quâ vivimus, tempestate, talia nonnunquam facta esse atque audita, quae bonis omnibus eo tristiora acciderunt, quo magis optarent ne, nunc vel maxime, ulla Minervae adspersa macula invidis obtrectatoribus illius sacra dehonestandi daret opportunitatem. — Sed, ut acerbe illa doluimus, Commilitones ornatissimi atque amicissimi! ita impense me laetatum esse Vobis persuadeatis ac laetari, quando Vestris de studiis vitâque et moribus Praeceptorum Vestrorum testimonia nuperrime mihi contigit accipere, non bona tantum, sed universe admodum honorifica. Quid, quod, proximo tempore verno, talem demonstrâstis et tam efficacem afflictae patriae amorem, qualem nulli memoriae prodiderant superiorum seculorum annales academici! Ad eum enim modum exhaustum erat, atque ad eas angustias

adductum publicum aërarium, ut illius penuria pessima quaeque nobis omnibus augurari videretur. Quâ tristissimâ rerum conditione abusi, nostrorum dierum *Clodii* et *Catilinae* cuncta turbare et summa miscere imis annitebantur. Sed Vos, ad unum omnes nefarias eorum voces contemnentes, O Juvenes optimi! re et operâ, pro virili quidem parte, laboranti patriae succurrere decrevistis ac subvenire. Et alias enim, et quas honestis recreationibus percipiendis destinaveratis, pecunias ita *patriae* sacrandas duxistis, ut *eam unam omnes omnium caritates complecti* debere, Vestro cuncti docerentur exemplo. O pulchrum inceptum dignumque, quod ad posteritatis memoriam Academiae fastis consignetur!

Sed quae me tristitia laetantem occupat et deprimit? Id nimirum, quod praedicavi, agentibus Vobis quatuor etiam illos sese socios dedisse Commilitones confido, qui non ita diu post hinc abierunt. Juvenes dico praestantissimos Christianum Gerardum Immens Blom, Philosophiae Naturalis Studiosum, et Jacobum Gerardum van der Burch, utrumque secundum et vigesimum aetatis annum agentem, eodem utrumque raptum proximo mense Novembri. Tertium memoro, non secus laudatum illum, quem, vix vigesimum aetatis annum ingressum, hujusce anni initia absumpserunt, Egbertum Arnoldum, *Equitem* à Rappard. Quartum tandem nuncupo, qui, ut bini proxime memorati Commilitones, Themidi sese dicaverat, Emondum Carolum Emilium Elsium, *Baronem* Collotium ab Escury, genere nobilem, aetate florentem

et ipsum, tertium et vigesimum vitae annum auspicatum.

Quae nos recordantes, Commilitones! acerba dilectorum funera sodalium, ita eorum omnium memoriam colamus, ut, quae in iis bona fuerunt imitati, jacturam, quam luctuosum per eorum obitum patria Literaeque ceperunt, nostrorum studiorum industriâ, constantiâ, sanctitate, quantumpote compensare conemur et resarcire. Quod ita felicissime faciemus, si nostrae ipsorum fragilitatis nullo vitae die simus immemores, nec vero eorum, quae de *Christo*, qui ἡ Ζωὴ καὶ ἡ Ἀνάστασις est, nuper *Paschalia* nos sacra docuerunt, unquam obliviscamur!

II.

Si forte ex me quaesieritis, Auditores! antiquis in Academiis, quas florentes viderunt patres, quid prae caeteris admirari soleam; tot earum Doctores fuisse dicam, non profundâ et reconditâ, sed *omnia fere*, pro temporum ratione, *complexâ* doctrinâ conspicuos. Ubi non id significo, quod *Theologi* fuerint, qui in abditissimos quosque sacrae disciplinae recessus penetrâssent; *Medici*, quibus ars *Hippocratica*, quamvis late patens, nihil quidquam quod ignorarent ostenderet aut objiceret; *Jureconsulti*, quibus omnia sua arcana reclusisse Themis ipsa videretur. Magnum id quidem; quis dubitet? sed majus illud, quod eorundem

illorum *Jureconsultorum*, *Medicorum*, *Theologorum* haud pauci, in suâ quisque disciplinâ regnantes, aliarum quoque, longe diversarum, tam accuratam et doctam sibi scientiam adscivissent, ut in his ipsis iisque solis vitae tabernaculum eos posuisse dixeris. Tales igitur Professores, quos, sicubi opus erat, ex unâ in alteram cathedrâ, sine ullo hujus dedecore aut discentium detrimento, transferre posses, eo studiosius quaesivisse majores invenio, quoniam minores etiam Academiae atque Athenaea, per singulas quantumpote doctrinarum partes a sese traditas, commendari atque illustrari vehementer cupiebant, nec tam amplum tamen ut plurimum aerarium habebant, quod alendo majori Doctorum numero sufficeret. Quocirca, ut ejusmodi, qualia dixi, *nomina*, ubicunque inveniebantur, quaererent ac sibi commissis vindicarent Palladis sacrariis, memorato seculo nulli operae pepercerunt nec labori nec sumptui, *pecuniam in loco negligere maximum lucrum* rati, literarum Maecenates ac patroni. Atque hoc agentes, ne alia memorem, non tantum frequentia cum exteris instituerunt commercia epistolica, sed legationes etiam ad potentissimos quosque Reges ac rerumpublicarum Moderatores vel mittere vel ipsi suscipere, si quando conducturum in rem putabant, nulli dubitârunt. Quam felicem autem successum saepe habuerint generosi illi eorum conatus, nec vos ignoratis, Auditores literatissimi! et mihi non magis gratum, quam facile pensum sit demonstrare. Quod si facere tempus permitteret, non ea tantum laudarem priscarum patriae Academiarum ornamenta, quorum

laudes adhuc ab omnibus celebrantur; verum aliorum etiam non paucorum antiqui aevi Professorum memoriam Vobis instaurarem, quorum quidem gloriam temporis offuscavit diuturnitas, quos vero et ipsos admirabili fuisse πολυιστορίᾳ, paullo accuratius inquirentem docebunt unumquemque Historiae literatae tabulae chartaeque. Sed invito mihi tempero animo; ad ea, quae recentissimae memoriae sunt, attingenda properans. — Quaeret enim quis, utrum nunc etiam ii sint, qui antiquiorum illorum heroum magnitudinem aut assecuti sint aut propius attigerint, aut doctrinae certe ubertate, copiâ, varietate cum iis comparari possint. Nae, tales si offenderimus, eo majoris eos faciendos esse existimabimus, quo latius, his postremis potissimum annis, singularum disciplinarum extensos esse fines novimus. In quarum igitur vel unâ aliquâ parte excellere, si decessoribus nostris difficile fuit, nunc plane singularis ingenii est atque infiniti fere laboris et ferreae constantiae.

Quid multa? Tales nobis et dederat et nuper abstulit unus humanarum rerum arbiter Deus, avitae praestantiae atque eruditionis haeredes, BERNARDUM SIGISMUNDUM ALEXANDER et NICOLAÜM CORNELIUM DE FREMERY et JOANNEM FREDERICUM LUDOVICUM SCHRÖDER. Quos si conjunctos hîc appello Triumviros, non invitis me facere puto piis eorum manibus. FREMERYO enim, plurimos per annos, Medico fidissimo usus est SCHRÖDERUS. Eidem autem FREMERYO ubi expletum dimidiati seculi doctoratum medicum publice gratulatus erat ALEXAN-

DER, honorifico dedicato, qui *Scalpellus Neërlandicus* (1) dicitur, opere; a tam laudato Viro sese laudari non aegre tulit, nec sibi indecorum duxit vanae gloriolae contemtor senex.

Sed inexspectatum fortasse Vobis accidet, ALEXANDRUM hic a me commemorari, qui, quo tempore fato functus est, alibi vivere incepisset, nec ullo amplius arctiore vinculo cum nostrâ hâc Pallade conjunctus teneretur. Enimvero nuperrime hujusce Academiae *Professor* ille fuerat *honorarius*. A quo autem die, pulcherrimâ habitâ oratione inaugurali, ita munus *Amstelodamense* auspicatus erat, ut copiosissimam denuo proderet, quâ valebat, eruditionem historicam; (2) ab eo igitur die pauci tantum ei menses abierant, ubi, proh dolor! hunc illi veluti cygneum cantum fuisse, haud sine lacrimis, comperimus. Amicus enim nobis constantissimus, ut fuerat, ita mansit ad rogum usque. *Nosocomii* quidem *militaris* praefecturae renuntiaverat, quam, plures per annos, in magnum cum ipsius Instituti, tum discipulorum emolumentum, tenuerat. Sed tum demum ex honorificâ statione dimitti voluit, ubi sese non amplius honeste in illâ manere posse ra-

(1) Ita enim, *Celsi* exemplo et auctoritate, vertere licet operis inscriptionem vernaculam: *Nederlandsch Lancet.*

(2) Vernacule dicitur oratio: *Inwijdingsrede over de verbinding van de studie der vroegere Geneeskunde met die van lateren tijd, door* F. S. A., *honorair Hoogleeraar bij de Hoogeschool te Utrecht, Hoogl. in de Geneeskunde aan de klinische geneesk. School en honorair Hoogl. in hetzelfde vak aan het Athenaeum ill. te Amsterdam, gehouden d.* 16 *Oct.* 1843; *Amst.* 1843. 4.

tus est. Quocirca nec ab hoc loco, nec a meâ personâ, alienum videtur praecipua vitae illius fata quam brevissime narrare.

Quo igitur anno patriam invaserunt Borussi, eodem Neomagi Gelrorum natus est ALEXANDER. (1) Hic, puerilibus doctrinae rudimentis rite imbutus, Leidam se contulit, ubi studiorum caussâ solito diutius, ita versatus est, ut et *Academiae* foret alumnus, et illius, quo ibi aegroti milites recipiebantur, *Hospitii.* Et aliis tum Praeceptoribus usus est clarissimis, et BRUGMANSIO prae caeteris. Quo potissimum duce Viro, in paucis magno, haud exiguum per tempus, et physicis disciplinis operam dedit et arti salutari. Sed quam dignus fuerit, scientiae amplitudine ac subtilitate, BRUGMANSII discipulus ALEXANDER, distinctius tum intelligetis, Auditores! ubi, quod brevi futurum esse speramus, non amplius nimis modesta verecundia hujus consobrinum, Virum experientissimum, ab Avunculi dilectissimi vitâ conscribendâ atque edendâ retinebit. (2) Nos quidem eo redeamus, quo nos Viri meritissimi fata ducunt. Anno igitur MDCCCX, haud vulgari cum laude, Medicinae Doctoribus eum adscripsit

---

(1) D. 15 m. Februarii a. 1787.

(2) Doctissimum J. B. DOMPELING significavi, qui, memorato opere *Scalpelli Neêrl.* redigendo, ALEXANDRO successorem se dedit, atque ibi (*Anno* 6. *P.* 2. *N°.* 10), ita hujus mortem dolenter et flebiliter deploravit, ut sibi, luctu depresso, nondum animum esse declararet Avunculi ejusdemque Praeceptoris biographiae conscribendae. — DOMPELINGII humanitati atque auxilio et pleraque me debere gratus agnosco, quae hic de ALEXANDRO dixi, et *scriptorum* illius *seriem*, quae ad hujus orationis calcem consignabitur.

illa, quam dixi, Academia. Inauguralem enim dissertationem *de tumoribus nervorum* intelligentibus horum studiorum judicibus valde probavit. (1) Jam *militarem* prae caeteris *Medicinam* eum factitandam sibi elegisse nemo mirabitur, qui quantum illi tribueret, et quomodo illius principatum teneret Brugmansius meminerit, Alexandri non Praeceptor magis, quam Fautor. (2) Id igitur vitae genus secutus, plurium deinceps urbium oppidorumque incola fuit, modo hic, modo illic, degens; prouti praesidiariorum, quorum valetudo ipsi curanda incumbebat, commoda requirebant. Dehinc, *Chirurgi Majoris* honore auctus, Scholae bellicae, a *tormentis* dictae, (3) quae Delphis florebat, adjunctus est. Et nunc demum ampla illi nata est permultorum aegrotantium miseriae succurrendi opportunitas. Singulari enim Regis decreto et benevolentiâ, *civium* etiam, militiae non adscriptorum,

---

(1) Censor certe in diario: *Recensent, o. d. Rec.* (VI. 2. 333), quem Virum fuisse eruditissimum novimus, hanc dissertationem vix aut ne vix quidem, pro meritis, et Medicis et Chirurgis legendam se commendare posse professus est. Ibidem autem, p. 197, per typorum errorem, pro *tumoribus* nervorum *humores* memorantur, in quibus dissertationis argumentum versetur.

(2) Disciplinae illius atque artis nostrâ in patriâ *conditorem* fuisse Brugmansium, gratum profitentem audimus discipulum, *orationis* memoratae p. 26; ubi conferantur scriptores in annot. laudati. Quibus prae caeteris addendus est Scheltema, qui in operis sui, quod dicitur: *De laatste veldtogt van* N. Buonaparte, (*Amst.* 1816) *supplementis*, p. 61 sqq. magnae auctoritatis monumentum aliquod consignavit, unde qualis et quam eximius Medicorum militarium Praefectus, difficillimo tempore, fuerit Brugmansius, luculenter apparet.

(3) Vulgo: *Artillerie- en Genieschool.*

valetudinem curandi veniam acceperat. Atque eâ jam famâ ejus nomen celebratum erat, ut non ex unâ urbis viciniâ, sed e longinquo adeo ejus auxilium a multis expeteretur, in eorum imprimis morbidorum gratiam, de quorum valetudine et vitâ desperaretur. Cum autem diu jam ejus tum auxilium, tum scripta non iis magis profuissent, qui internis, quam qui externis corporis malis laborarent; anno MDCCCXXIV, tantis et tam variis illius meritis singulare publicae laudis testimonium non diutius deësse oportere existimavit Academia Rheno-Trajectina. Quocirca *Virum, insigni Chirurgiae peritiâ magnisque in hâc disciplinâ meritis spectatum*, (1) *honoris caussâ*, illius *Doctorem* renunciavit. Sed quinquennio post, in alio eoque ampliore etiam theatro ejus doctrina ac sapientia cerni coepta est. Anno enim MDCCCXXIX princeps hujus Regni Nosocomium militare, nostris in moenibus collocatum illud, alumnorum suorum Praeceptoribus adscriptum, haud ita diu post praefectum vidit Alexandrum. Nec vero hoc in honoris gradu substitit. Anno enim MDCCCXLI *supremae classis Medicus militaris primarius* dictus est. (2) Quam dignitatem ac provinciam tuitus est, donec, biennio post, rude donaretur. Quod ipso quidem, justissimis de caussis, petente factum est; sed dolentibus omnibus, qui eo melius pa-

(1) Ipsissima haec verba sunt, quibus in *Albo Doctorum* memoratum Senatûs decretum, a. d. XIV m. Junii, consignatum invenitur.

(2) D. XXVI m. Martii dictus est, ut ipsum vernacule reponam honoris titulum: *eerste Officier van gezondheid der eerste klasse.*

triae defensoribus prospectum iri putarent, quo doctiores haberent, et similiores eruditione et virtute ALEXANDRO Medicos. Nam aliorum de consiliis et animis dicere nihil attinet. — *Amstelodamensium* sapientiam laudare malo ac prudentiam, qui Virum, rerum medicarum longo usu et rarâ cognitione probatum, et *clinicae* suae *Scholae* praefecerunt, et *Athenaeo* Professorem honorarium adjunxerunt. Neque hos justa eaque praeclara, quam de illo conceperant, spes fefellit. Nam et juvenili ardore atque alacritate novam tuitus est provinciam, et talem sese denuo demonstravit Aesculapii ministrum, qualem eum fuisse omnes uno ore testantur discipuli, qui artis salutaris exercendae curandorumque aegrotorum exemplum ipsis dederit praestantiâ fere inimitabile. — Docta ejus scripta, quae in magnâ versantur argumentorum diversitate, me hic recensere non posse sponte intelligitis. Verum illorum numero non illa sola contineri monendum est, quae, nomen suum professus, publici juris fecit; sed permultas etiam librorum medicorum *censuras* egregias, quibus, non adscripto auctoris nomine, plura ornavit diaria. Nam hae et ipsae censurae, si singulae ejus nomini vindicari possent, quam egregie hâc quoque viâ literatam demeruerit Rempublicam, luculenter comprobarent. (1)

Sed quid vitam potissimum ALEXANDRI memoro, cui mors imprimis obtigit honorifica et decora? Civitatis

---

(1) Et aliis in operibus periodicis, ab illo profectae, *censurae* librorum exstant, et permultae imprimis in iis, quae vernacule dicuntur: *Vad. Letteroefeningen* et: *Algem. Konst- en Letterbode.*

enim Amstelodamensis *Nosodochium*, cui praefectus erat, verno superioris anni tempore, aegrotis refertum fuit, gravissimo *typho* laborantibus. His igitur constanter adesse maluit, id est pestiferis cubiculorum, ubi decumbebant, exhalationibus sese exponere, quam suo corpori parcere, laboranti jam et male valenti, suaeque vitae, quam in praesentissimum sic adduci discrimen minime ignorabat. Itaque a *Typhi* furore correptus, quem saepe alios aggressum feliciter debellaverat, tandem ei succubuit ipse. (1) Quamquam vicisse potius dicendus est, quam succubuisse, qui, tam generoso et tam invicto animo, eam prodidit *fortitudinem*, quam optimorum quorumque *Medicorum* propriam esse, ante hos aliquot annos, eloquentissimâ oratione probantem audivimus Suermannum nostrum, Virum clarissimum. (2)

---

(1) » *D.* 4 *m. Aprilis a.* 1844, *veluti honoris in lecto, nimis » potenti succubuit hosti. Placidâ et tranquillâ mente, sui plane » conscius, quinquagesimum et octavum aetatis annum agens, » obiit ille, cujus et vita et mors* vere Christiani *hominis imagi- » nem expresserat atque exprimebat.*" — Haec ad me idem scripsit, quem supra laudavi, Vir doctissimus. Qui quod de Avunculi sui, mihi amicissimi, vitâ dixit, ego etiam certâ fide testificari haud reformido.

Quod reliquum est, et Ordini equestri Neèrlandico et pluribus doctis Societatibus, cum in patriâ tum apud exteros florentibus, adscriptus fuit Alexander. Nec minores in hoc genere honores Fremeryo et Schrödero obtigerunt, de quibus mox dicturus sum. Verum haec accurate referre nec possum nec vacat. Nam non mediocres illi homines erant, sed tales, quorum praestantia, ut eluceret, nulla requireret ejusmodi ornamenta.

(2) Elegantissima *oratio de animi fortitudine, virtute Medicis propriâ, maxime illâ in epidemiis conspicuâ*, reperitur in *Annall. Acad. Rheno-Traj. a.* 1826-1827.

3

Verum ubi Suermanni nomen me memorantem auditis, Collegae et Commilitones! mecum illius sortem doletis, quem nova eaque vehementissima clades afflixit. Sed iidem *eum* admiramini, qui, quam constantiam et illo die commendaverat aliis, et toties aegrotorum lectulis adsidens, demonstraverat, ipse eam nuperrime novo nobis exemplo probavit; ubi, dilectissimis jam antea tribus, id est omnibus, superstes liberis, optimae insuper Uxoris jacturam fecit longe acerbissimam. Quem Virum constantissimum ne gravissimo luctu ac dolore tandem oppressum videamus, atque ut eadem, quâ nunc sustinetur, in uno Deo Christoque reposita spes et melioris vitae exspectatio, reliquo eum terres-

---

Ne de optimâ Collegae aestumatissimi filiâ dicam; filius natu major Herm. Flor. Franc. Suerman, ante hos tredecim annos, ubi jam ad studiorum academicorum, admodum laudabiliter actorum, metam feliciter accesserat, multis flebilis occidit. Quo de praestantissimo juvene legi possunt, quae in *annot.* diximus ad *or. de Hist. Phil. de Deo*, (in *Ann. Ac. Rh. - Traj. a.* 1829 - 1830) p. 101 sq. — Ejusdem filius alter, natu minor ille, Alex. Car. Guil. Suerman, ubi per octo fere annos fratri memorato superstes fuerat, d. 10. m. Febr. 1840, et ipse praematuro, ut nobis quidem videbatur hominibus, fato raptus est. Tantum hic sui desiderium reliquit, ut cum parentibus, praeclarum filium acerbe lugentibus, universa lugeret Academia, qui talem eum Medicinae Professorem habebat, cujus doctrina juvenilis aetatis modum longe superaret. Immo una cum Academiâ eum boni deplorârunt omnes; qui quidem, quale Hippocraticae disciplinae lumen funus illius exstinxisset, haud ignorarent. Cum autem non diu antea nostrae Academiae Professor veteranus obiisset Heringa E. F.; — nos quidem, in *orationis sacrae*, quam hujus memoriae tribuimus, *annotatione*, (p. 35) Suermannum etiam Collegam, florente aetate nobis ereptum, flebiliter commemoravimus. Sed ejusdem merita disertius longe et copiosius alii, me doctiores ac magis idonei horum studiorum judices, celebrârunt.

tri stadio, recreet et suffulciat, ei vovemus atque apprecamur omnes!

Sed qualibus et quam desideratis mihi parentandum restat capitibus! Neminem enim nostrum esse confido, quin Nicolaüm Cornelium de Fremery et viventem magni fecerit et mortuum luxerit. De quo quid dicam, quod Vos ignoretis, Auditores? Nam, per continuos fere quinquaginta hos annos, quodcunque virium habuit et facultatum corporis, animi, ingenii, id omne in hujus urbis, in hujus regionis, in hujus Academiae imprimis ejusque civium bonum et emolumentum contulit atque impendit. Per seculi fere dimidiati tempus, juvenem, maturâ aetate virum, senem, in fortunâ et prosperâ et dubiâ et adversâ, semper eundem sibique constantem eum cognovistis; priscae fidei et candoris, si quis alius, Medicum ac Professorem; hominum amantem, non adulatorem; nec primorum gratiam humili aucupantem assentatione, nec infimorum salutem elati supercilii fastu negligentem; in Deum hominesque pium; ita Christi, cujus amori puroque cultui majores ipsius terrena omnia posthabuerant, (1) imitatorem, ut magis, quod aliorum commodum erat, quam quod suum, quaereret. — Quid Fremeryum lau-

(1) Seculo XVI, Fremeryi nostri proavi ex *Hannoniâ*, ubi lautâ et honoratâ conditione utebantur, huc migrare, maximo cum rei familiaris detrimento, maluerunt, quam Hispanorum tyrannid cedere, atque emendatae religionis, quam profitebantur, bonis destitui et carere.

dabo, quem juvenem academicâ cathedrâ dignum judicavit gravissimaeque disciplinae Professorem commendavit Martinus à Marum, quem nec ingeniorum censorem nimis facilem fuisse accepimus, et in nobilissimis habitum esse hujus patriae Physicis ac Botanicis? (1) Quid *eum* praedicabo, cujus scripta probârunt eruditi; cujus merita cives agnoverunt, a Musis non aversi, cuncti; cujus fidem ac peritiam experti quam plurimi aegrotantes, gratis eum mentibus *ἰατρὸν πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων* declarârunt? (2) Ne Ludovicum Regem memorem, natione quidem Francogallum illum, sed nostratium ingenia et merita haud vulgari judicii acumine discernentem atque aestimantem, qui, nostrâ hâc in urbe aliquamdiu commoratus, Fremeryum et *domui suae Medicum* praefecit, et maximi se facere haud unâ ratione demonstravit. (3) Quis tandem *illius* memoriam, vel me tacente, non colat, quem ultimum eorum superstitem vidimus Professorum, qui, Heringa duce, omnia dejicienti Napoleontis tyrannidi sic restiterunt, ut, aedificium ipso sustinente Deo immortali, salvam nobis sospitemque Academiam relinquerent?

---

(1) Marumii et Collegae nostri, de quo dicimus, amicitia quantopere *Chemiae* profuerit, passim docet et demonstrat opus *Lavoisierianum*, infra laudandum illud, quod Werkhovenio socio, edidit Fremeryus.

(2) Talem eum mihi meisque, multos per annos, Medicum fuisse ingratus sim nisi profitear.

(3) Francogallico honoris titulo dictus est: *Médécin de la maison du Roi.* — Qualem et quam peritum Chemicum eum censeret Ludovicus, ipsius epistola docet, quam ab oblivione vindicavit Kraytenhoffius, in opere: *Bijdr. tot de vad. geschiedenis van de belangrijke jaren* 1809 *en* 1810, (*Nijm.* 1831) p. 160.

Quem illorum animum ac perseverantiam admirabimur ac praedicabimus, *dum spiritus hos reget artus;* et vero imitari conabimur, (Vestro nomine spondeo, Auditores!) quocunque tempore Patria requirat, atque illa requirant, quibus Patria gloriatur, Instituta!

Fremerti vitam breviter descripsit, ac memorato jam opere consignavit Korsius, Vir experientissimus; ita perspicue atque ita vere, ut recte ab eo dicta repetere non opus sit. (1) Hoc unum igitur urgere et candide profiteri mihi permittetis: eâ fuit ille πολυμα-

---

(1) Vid. *Nederl. Lancet*, *anni* 7 p. 495 seqq.

D. 10 Januar. a. 1770, natus est N. C. de Fr., in Hollandiae Meridionalis pago *Overschie;* patre Petro Isaäco de Fremery, ibi tunc sacrorum Antistite, postea Sylvae Ducis; ubi sacro cum munere conjunctam tenuit professoriam dignitatem. Hunc praestantissimum fuisse Virum eundemque Theologum admodum doctum, pluribus nobis et documentis constitit et testimoniis. Filius, de quo dicimus, a. 1785 Academiae Leidensis civibus adscriptus, a. 1790, vigesimo aetatis anno vix exacto, *dissert. philos. inaug. de fulmine* scripsit defenditque, quae maximas intelligentium laudes tulit. Nec minus honorificus illi, triennio post, stadii academici fuit exitus. *Medica* enim *diss. inaug.*, *de mutationibus figurae pelvis*, exteros etiam librorum censores applaudentes habuit. — » *Harlemo*, *ubi* » *Medicinam faciebat*, *evocatus*, *Medicinae*, *Chemiae*, *artis* » *Pharmaceuticae et Historiae Naturalis Professor*" [hâc in Academiâ inauguratus est] » *d.* 18 *Decembr.* 1795. *Restitutâ Aca-* » *demiâ*, *a.* 1815 *adscriptus est et Medicorum et Philosophiam* » *Naturalem docentium Ordini.*" (Haec de illo Heringa E. F. in *annot. ad orat. de Auditorio Ac. Rheno-Traj.* p. 157.) D. 15 Novembr. a. 1844, septuagesimum et quintum vitae annum agens, fato functus est. — Plura inveniri possunt apud doct. Korsium, et alia, quod vehementer cupimus, brevi legi poterunt, a clar. Vrolikio dicta. Hic enim, ante paucos hos dies, in doctae *Societatis Harlemensis* consessu, ita Fremeryo parentavit, ut illius oratione diu carere non debeat amplior Societas literata.

θία, eâ eruditionis copiâ ac varietate, ut ipsum adspiciens, sponte imaginem mihi repraesentarem antiquorum illorum, qui aureum Reipublicae nostrae seculum illustrârunt, Medicorum. Ne de illâ singulatim dicam, cui vitam dedit, latissime patente doctrinâ; et Jurisprudentiae Naturali et universae Philosophiae Theoreticae, PESTELIO duce et WYNPERSIO, juvenis operam dedit. Atque in artis salutaris Praeceptoribus NICOLAÜM PARADISIUM imprimis magni fecit, cujus scholae philosophum auctoris ingenium redolebant atque ostendebant. Si autem postea subinde, cum Collegis amice disceptans, *Metaphysices* ignorantem se finxit aut adversarium; non impediit tamen Socratica haec illius dissimulatio quominus illorum, quos dixi, Virorum discipulum eum agnosceres. Literarum Graecarum ac Latinarum longe peritior fuit, quam plerique, qui nunc docti habentur, Aesculapii cultores. Recentiorum populorum elegantiores Literas, ne senex quidem occupatissimus, dum ad aegrotos eum rheda vehebat, recolere desiit.

Verum praecipuas testes, per quarum veluti vocem de insignibus FREMERYI meritis constet, cito *Zoölogiam* et artem *Pharmaceuticam*. Utramque enim omnium primus, hâc quidem in Academiâ, datâ operâ docuit. Quin ita hîc primus fuit, ut *Pharmaciae* in disciplinae formam redigendae, Batavis auctor esset et signum fere tolleret. Quâ de re, quaeso, audiamus, quid ipse, publicâ in oratione, anno jam MDCCCXXII habitâ, nemine contradicente aut dubitante, professus sit:

» *Ubique fere*,'' ait, » *defuit* (nostrâ in patriâ) *et* » *deest etiamnum Pharmaceutarum alumnis occasio* » *artem suam aptâ ratione discendi. In unâ fere hâc* » *civitate, per hos viginti sex annos, primus ego* » *hanc artem publice, vernaculo sermone, docui, et,* » *post renatam Academiam, quamvis illa institutio le-* » *ge academicâ non requireretur, docere non tan-* » *tum perrexi, sed et, publico ut consulerem com-* » *modo, frequentius etiam docere institui.*'' — Haec olim Virum minime gloriosum, nec rerum a se gestarum jactatorem, nobis narrantem audivimus. (1)

---

(1) Vid. illius oratio *de Chemiâ et arte Pharmaceuticâ ad majorem perfectionem in Belgio evehendis;* quae exstat in *Annall. Ac. Rheno-Traj. a.* 1821-1822.

Cum ea, quae breviter significavi, Fremeryi in artem Pharmaceuticam essent merita, exspectandum sane erat illius non ultimi rationem habitum iri, quo tempore *Pharmacopaeam*, antea editam, ad praesentes regni, jam dilatati, usus a Viris doctis accommodandam et refingendam censuit Guilielmus primus. Quam exspectationem non confutavit rei exitus. » *Rex* enim, *decreto*, *d.* 1 *Apri-* » *lis* 1816 *lato*, *voluit*, *ut*, *Pharmacopaeae Batavae ratione uni-* » *verse servatâ*, *novus conderetur Codex pharmaceuticus*, *qui om-* » *nium Belgii incolarum usibus destinatus*, Pharmacopaea Belgica » *diceretur. Hujus igitur conficiendae provincia regiâ auctoritate* » *demandata est*'' et aliis Septemviris, in quibus quatuor *Belgae* erant, et » Nicolao Corn. de Fr.'' Hi igitur posteaquam collatis consiliis opus exaraverant, » *difficilis ultimae limae cura* — » Brugmansio, *una cum cl.* Vrolik *et* de Frem. *demandata est.* » *Hoc autem ultimum pensum vix erat inchoatum*, *quum decessit* » Brugmansius. — *Ultimam igitur hanc operis curam susceperunt* » *ex nostris* (i. e. Batavis) *imprimis* G. Vrolik *atque* N. C. de » Fr., *consiliis tamen utentes* Driessenii,'' caet. Haec ex *Pharmac. Belg. praefatione* (*Hagae Com.* 1823) ita excerpsi, ut ipsa etiam illius verba quantumpote reponerem. Unde igitur, in opere illo et condendo et retractando, quam magnae fuerint Collegae, quem lugemus, partes luculenter apparet. Quocirca, si quis alius

Sed quamvis magna illius in *Zoölogiam* atque *artem Pharmaceuticam* merita fuerint; dubites tamen his doctrinis utrum plus temporis et studii tribuerit, an *Mineralogiae* et *Geologiae*. Certe et hanc et illam olim jam naviter excoluerat; sed utramque, postremo imprimis vitae stadio, *Zoölogiam* docendi provinciâ honorifice solutus, in praecipuis habuit studiorum suorum deliciis. Verum quid ita tenuiter dico, quasi suo secum pectore sensum illum condiderit atque amorem? Enimvero, sicuti Mineralogiâ ac Geologiâ vehementer delectabatur ipse; ita utriusque desiderio et cognitione de cathedrâ discipulos, in Instituti Regii aliisque consessibus provectiores, per scripta edita doctissima et hos et illos vel imbuere conatus est vel augere. Cujus utilissimi pensi persequendi prius senis corpori vires, quam animo voluntatem defecisse, novimus omnes.

Talem igitur cum FREMERYUM cognoverimus, Curatores, Professores, Studiosi! jam ejus exstinctam esse lucem ita doleamus oportet et lugeamus, ut eam nostrae huic Academiae et accensam fuisse et diutissime intaminatam eluxisse, gratis in Deum immortalem animis agnoscamus. Quod nos et fecisse et facturos esse

---

sociorum, dignus ille fuit, qui, salutari operâ positâ in penso gravissimo eoque jam confecto, publicâ Regis auctoritate praemium acciperet admodum honorificum. Quod me, ante hos quindecim annos Rectoratu abeuntem, Viro optimo gratulari memini. Cf. *orat. de Hist. Phil. de Deo*, p. 54. — Tandem, ubi a. 1841 nova mutandae *Pharmacopaeae* consilia agitabantur, in iis, quibus haec res curanda mandabatur, Chemicis nec FREMERYI nomen desideratum est. Sed qui jam hunc sibi honorem deprecandum esse duxit.

Tibi asseveramus, Collega clarissime et amicissime! qui tanti nominis haeres es; cui ut filii succrescant et nepotes aliquando nascantur, virtute et doctrinâ Avum referentes, ut Tu optas, ita Tibi nos apprecamur! (1)

Alexandro et Fremeryo, ut potuimus, etsi pro neutrius praestantiâ, justa solvimus. Sed dicendum, eheu! restat de Joanne Frederico Ludovico Schröder, cujus obitus, ante paucos hos dies, ad tantam jam antea luctûs materiam, cumulus accessit. Quod ubi cogito, Auditores! vox fere mihi linguaque haeret, et tantum non deficit animus! Illius enim celebrandi unde initium ducam, ubi finem inveniam? In vulgus quidem notum est eum, natalium sorte *Germanum*, educatione, pluribus gestis muneribus honorificis, magis etiam animi sensis studiisque, nostrum civem fuisse, ac revera *Batavum* se fecisse. (2) Magnum eum, quin

---

(1) Collegae clarissimo P. J. I. de Fremery et alia, ad Patrem pertinentia, me debere gratus agnosco, et *illius scriptorum seriem*, infra prodendam.

(2) » J. F. L. Schr., *Dornberga - Westphalus*, *natus d.* 31 *Oct.* » 1774, (in Acad. Rheno - Traj.) *Professorum Ordini*, *Mathesin et* » *Philosophiam Naturalem docentium*, *adscriptus*, *d.* 25 *Januar.* » 1816. *Vacante Philosophi theoretici cathedrâ*, *illius quoque* » *partes suscepit.*" — » *Mortuo* Rossynio, *mox* Logices *docen-* » *dae partes susceperat; deinde etiam* Metaphysicam *tractandam* » *sibi sumsit*, *postquam eo munere aliquot annos functus fuerat* » Gabriël van Oordt. *Mortuo autem* Huismanno, *praeterea* » *etiam* Schröd. *sibi docendae* Philosophiae Moralis *provinciam* » *imponi passus est.*" (Ita accurate tradidit Heringa E. F. in

maximum Virum fuisse, *Philosophiae* Professorem non magis, quam principem, nemo est qui ignoret. Verum quâ potissimum notâ haec illius magnitudo cerneretur; quid prae caeteris persequens atque agens, illâ singulatim, quâ vixit, aetate, in hâc imprimis, quae nunc erat, *Philosophiae* conditione, eam demeruerit; id, pro tanti ingenii praestantiâ et dignitate, declarare et exponere, admodum arduum pensum est. Cujus pensi difficultatibus superandis unus ille par esse censendus est, qui in *Philosophiâ* et *Naturali* et *Theoreticâ* ita vitae tabernaculum posuerit, ut nec illiberaliter *Platonem Aristoteli* praeferat, nec, contrario animi sensu, *Euclidi* aut *Newtono Cartesium* vel *Kantium*. In Schröderi laudatore ea scientiae copia et amplitudo requiritur, ut tum in *Physices*, tum in *Metaphysices* penetralia totum sese insinuaverit; sed ea etiam animi a partium studiis alieni liberalitas, ut nec hanc, nec illam alterâ potiorem habeat aut praestantiorem. Nam sic demum Schröderiani ingenii justam et mensuram invenire et censuram inire poterit. — Ego igitur quid faciam, unus de multis homo, quem vitae ecclesiasticae et academicae rationes nec *Physicum* fecerunt, nec *Metaphysicum*? Primum quidem ipsum illum, mihi carissimum Virum pauca de prioribus vitae suae rebus atque actis narrantem Vobis informabo; ea proxime secutus, atque ex vernaculâ tantum linguâ Latine reponens, quae, ante hoc decennium, familiari me-

---

annot. ad *orat. de Auditorio*, p. 159. 209. 210.) Fato functus est Schröderus d. 20 m. Martii a. 1845.

cum colloquio communicaverat ipse, ego mox, memoriae subventurus, chartae mandavi. Unde certe hominis sapientissimi modestiam amabilem cognoscetis, de illiusque fatis minus vulgo cognitis auditu haud indigna nonnulla comperietis. — Deinde non id mihi sumam, ut tanto de Viro judicium arrogantius ipse feram. Hoc potius explicabo, quid *illi* spectandum sit et sectandum, qui, qualis et quam magnus Philosophus fuerit SCHRÖDERUS, aequalibus ac posteris accurate et plene velit explicare. Quâ disquisitione ad ea, quae ab aliis de illo dicta accipiemus, suo pretio aestimanda mentes nostrae conformabuntur, Auditores! et, nisi nimis mihi blandior, utiliter praeparabuntur.

Sed jam primum de se ipso narrantem audiamus SCHRÖDERUM. » *Puer olim*," inquit, » *et parentibus orbus, nec a fortunae bonis beatus, Amstelodamum veni, ab optimo sustentatus fratre, qui et ipse sibi non magnopere faventem habuerat Plutum. Athenaei civis, ego et* CRASSUM *audivi, Juris Antecessorem, et* WALRAVENIUM, *qui* Orientalibus *suis me devincire volebat Literis.*" [Non frustra fuisse, id conantem Praeceptorem, ut hoc obiter adjiciam, postea docuit exitus. Quo enim tunc discipulo utebatur, ille, senex adhuc, tum alia Hebraeorum carmina, tum *Jobeïdem* atque *Isaïae* vaticinia et *Hebraïce* legere solebat, et suos in usus, frequenti scriptâ annotatione, illustrare, et, sicubi res ferebat, ipsa reponens archetypa verba, memoriter recitare.] » *Cum autem vitae*

» *meae*," ita pergentem eum audivimus, » *hoc propositum esset, ut Lutheranae aliquando fierem Antistes Ecclesiae, in Halensem me contuli Academiam, Theologiae daturus operam. Id enim officii sacrum munus spectantibus juvenibus coetuum nostrorum vel lex imposuerat vel consuetudo. Halae, per triennium, ab anno proximi seculi nonagesimo quinto ad nonagesimum octavum usque, commoratus, Philosophiae Professores docentes audivi* TIEFTRUNKIUM *et* » JACOBUM, KANTII *disciplinae addictum utrumque.* (1) » *Cujus disciplinae eo facilius adolescentem me conciliavere Praeceptores, quo magis mihi, quem ipsa natura ad mathematica studia composuerat, Philosophi Regiomontani, de* spatio *imprimis, placita sponte arridebant. Quae et ipsa, posteriore tempore, disputatione in* HEMERTII Horreo Philosophiae » criticae *consignatâ, tuenda duxi. — Hinc, anno octavo et nonagesimo, Amstelodamum redux, ita in illâ urbe, per solidum fere quadriennium,* Ministerii » sacri Candidatum *me gessi, ut, apud Lutheranorum coetum,* Antistitis vicarii *stata officia obirem. Quo*

(1) De JOH. HENR. TIEFTRUNK, Philosopho Kantiano, eodemque Theologo Rationalista, cujus nomen per plurima scripta edita celebratum est, vid. KRUGII: *Algem. Handwörterbuch der philos. Wissenschaften u. s. w.* (ed. prioris) T. IV. p. 173. De LUD. HENR. JAKOB, (postea dicto VON JAKOB) qui et ipse, docendo et libros edendo, KANTII disciplinam propagare studuerat, idem egit KRUGIUS, ibid. T. II. p. 422. TIEFTRUNKIUS, ab anno inde 1792, ordinarius Philosophiae Professor Halensis fuit; JACOBUS extraordinarius ab a. 1789, ordinarius ab a. 1791. Sed hic postea Rossorum Imperatori fuit a consiliis; tum Halam repetiit. Anno autem 1827 fato functus est ille; — a. 1838 TIEFTRUNKIUS.

» *igitur tempore, singulis ut plurimum dierum hebdomadibus, binae mihi pro concione habendae erant orationes sacrae. Quod eo difficilius atque eo molestius mihi pensum incubuit, quoniam et Batavorum linguam, antea perceptam, in Germaniâ versatus, dedidiceram,* (1) *nec vero, per oratoriam illam provinciam, a Mathematices ac Physices studiis strenue persequendis me avocari volebam. Unde subinde fiebat, ut templi aedituus, de oratione sacrâ, necopinanti mihi habendâ, me certiorem faciens, subito me adventu terreret ac deprimeret. — Sicuti autem antea Halensis illa, nunc denuo Amstelodamensis haec statio ad studia mea* KANTIO *magis magisque concilianda valuit. Illius enim admiratione me duci nunc etiam non dissimulans, sponte in plurium elegantioris ingenii juvenum consortium atque amicitiam veni, qui et ipsi, praecipuo admonitore et duce* PETRO HEMERTIO, *eandem sectabantur doctrinam.*" [Itaque ad Eum, quem narrantem audimus, (ut hoc obiter interspergam) Philosophiae *Regiomontanae* per totum vitae stadium devinciendum

---

(1) Hanc modesti admodum narratoris de se professionem ne nimis urgeamus, suadent illius commentationes in HEMERTII *Horreo* memorato repositae, non ita diu post auctoris ex Germaniâ reditum scriptae, quae aliorum certe, quae ibi reperiuntur, scriptis orationis puritate non inferiores sunt. Posteriore autem tempore, quae, nostrâ linguâ usus, scripsit ediditque SCHRÖDERUS, a stili etiam nativâ simplicitate, perspicuitate, bonitate commendationem habere novimus omnes. Sed minus vulgo notum est, cum *Hispanorum* etiam et *Italorum* linguâ familiaritatem eum contraxisse haud mediocrem.

cum *Halâ Amstelodamum*, cum TIEFTRUNKIO et JACOBO HEMERTIUS conspirare videbantur, quorum nemo non praecipuis et acerrimis sectae illius propugnatoribus annumerabatur. Sed ita *suus* apparuit ille; ita sententiae, quam nunc unice veram censebat, defensionem pertinaci pridem a se commendatorum placitorum professioni ac propugnationi praetulit, ut, in immortali imprimis illo opere, quo *cognitionis humanae initia* exposuit, palmariam KANTII doctrinam de ratione *practicâ* et *theoreticâ*, item de cognitione *subjectivâ* et *objectivâ*, sine ullâ dissimulatione strenue atque acute refelleret et confutaret. Verum reliqua denuo nobis narret ipse] » *Tertio*," ait, » *hujusce seculi anno*, GLAVIMANSIO *et* ASMO *suffragatoribus*, *Instituto sive Scholae maritimae praefectus sum. Quod praefecturae atque institutionis pensum, per continuum novem annorum spatium, me tenuit occupatum. Primum tum hujus Scholae nobis hospitium fuit secundi ordinis navis bellica, quale* fregatum *hujus temporis usus vocat. Omnino ducenta et quinquaginta capita navis illa vehebat; in quibus sexaginta nobilioris loci adolescentes, militiae navali destinati, qui* cadetti *vernacule audiunt. Hos ego Historias imprimis docebam et Mathesin et Physicam et quae iis disciplinis affinia sunt alia. Quamquam universae etiam, quâ imbuendi essent adolescentes, institutionis regendae cura mihi commissa fuit. Militari enim imperio Navarchus nobis erat* WOLTERBEEKIUS, *amicus ille mihi, quem postea Archithalassium fuisse et rerum maritimarum Administrum re-*

» *gium novimus.* (1) *Ibi tum consilium Respublica* » *ceperat nostram illam navem eâque vectos nos ipsos* » *in mare Mediterraneum mittendi, ad* Tripolitanorum » *Principem munera delaturos, quae illi Patria nostra* » *destinaverat. Verum irritum hoc reddidit consilium* » *subito rupta pax* Ambianensis. *Quo factum est, ut* » *et navi et nobis stabilis jam sedes assignaretur,* » *primum Helvoetslusia, postea Fyenortia prope Rote-* » *rodamum. Sed tandem nostrum illud* fregatum *ad* » *actuosa merenda evocatur stipendia maritima. No-* » *bis, inde dimissis, hospitium obtigit Enchusiae,* » *terrestre illud, nec amplius navale. Sed interea* » *rerum nostrarum potiri* Napoleon, *Francogallorum* » *Imperator. Cui vehementer ego displicui, qui ni-* » *mis libere patriae amore discipulorum animos im-* » *buissem. Quâ igitur maximâ poterat injustitiâ,* » *nullâ eorum, quae mihi sancte promissa erant, ra-* » *tione habitâ, duodecimo hujus seculi anno, munere* » *me depulit tyrannus. Proximi triennii igitur spa-* » *tio, publico nullo munere functus, ita Amstelodami* » *habitavi, ut non severioribus tantum doctrinis, ve-* » *rum humanioribus etiam Literis recolendis operam* » *darem. Quae utilissima mihi fuit ad professionem* » *academicam, quae me manebat, commode tuendam* » *praeparatio.*"

---

(1) Ubi, ante paucos hos dies, 23 Maji, Constantinum Joh. Wolterbeek, per duos tantum et quod excurrebat menses Collegae nostro superstitem, octogenarium fere obiisse acceperamus, ejusque merita publice laudata videramus; Schröderi etiam, diu cum ipso familiariter versati, honorifica de illo testimonia recordati sumus.

Haec ut olim mihi narrantem audivi Virum optimum, ita Vobis reposui, Auditores! ab ipsius verbis ne tantulum quidem abiens. Recentiora ejus fata, ex quo tempore hujus Academiae lumen exstitit atque ornamentum, ut Vobis notiora sunt, ita, si minus accurate forte memineritis, haud deerunt qui Vobis narrent alii. Nam quot eum cognitum habuerunt doctrinarum, religionis virtutisque amantes homines, tot ejus memoria laudatores inveniet. (1)

Sed quid illi faciendum incumbit, qui qualis et quam magnus Philosophus fuerit SCHRÖDERUS, pro Viri meritis, explicare instituat? Id me quidem nullo opere facere posse (ita meam tenuitatem illius obruit praestantia!) aperte professus sum. Quocirca, Vos si

(1) Unus SCHRÖDERUS duplicem eamque conjunctam suis veluti humeris sustinebat Philosophiae et Naturalis et Theoreticae professionem gravissimam. Sed quam multis praeterea aliis rationibus et de artium disciplinis, et de religione et de patriâ bene meruit! Utilissimum sane *Seminarium* theologicum Christianorum, qui a LUTHERO vocantur, Amstelodamense nullum habuit *Curatorem* aut intelligentiorem, aut liberaliorem, aut magis vigilantem. — Docta *Societas artium ac disciplinarum Rheno-Trajectina*, quae vulgo *provincialis* audit, si ex illo, in quem olim inciderat, languore feliciter se recepit, nemini magis novam illam debuit vitam, quam SCHRÖDERO. Hoc enim, multos per annos, *Actuario* usa est, ita actuoso, ut paucissimi sunt vel esse possunt Actuarii. — Sed longe majora etiam illius merita fuerunt in patriae rem maritimam et militiam navalem, cujus commoda curare haud prius desiit, quam vitâ excessit. Quâ de re nisi aliunde satis constaret, vel unum testimonium excitare sufficeret id, quod nuper, quo magis illius memoria celebretur, fecit atque instituit rerum maritimarum Administer regius; qui RYKIUS est, omnium, quae huc spectant, judex peritissimus et maxime idoneus.

permiseritis, de argumento lócupletissimo *nihil scribens* aut pronuntians *ipse*, *munus et officium docebo.* Tria igitur imprimis agere oportet, quem mihi informo, Schröderi laudatorem. Exponet enim quid praestiterit ille, profitendo, docendo, propagando Philosophiam, tum *Naturalem*, tum *Theoreticam*, tum vel maxime *conjungendâ* utràque et *copulandâ.*

Primum igitur illum *Mathematicum* principem ac *Physicum* praedicabit. Ubi ab iis, quae simplicissima censentur, sed eadem longe gravissima sunt, exorsus explicabit, quam multum contulerit, ut *Matheseos* tum primariae notiones, tum definitiones ad certiorem revocarentur perspicuitatem, veritatem, evidentiam. Docebit quam singularem *novitatis* commendationem habeant, quae de argumento dixit, ab antiquis et recentioribus ita tractato, ut de eo nihil magnopere novi aut ignoti dici posse videretur. (1) Imprimis vero de-

(1) Prae caeteris opus significavi, Instituti regii sociis oblatum ab iisque laudatum, quod inscribitur: *Verhandeling over de meetkundige bepalingen*, *door* J. F. L. S. *Tweede*, *zeer vermeerderde uitgaaf; Amst.* 1841. Dolendum quidem est gravissimam hanc disputationem pacis amantissimum Virum litibus implicuisse satis acribus cum cl. Jacobo de Gelder, qui, peculiari edito scripto, illius definitiones aliaque placita vehementius improbaverat. Sed id certe boni habuit dissensio illa, quod ita Schrödero opportunitas nasceretur et fere necessitas imponeretur commentationis suae placitorumque, quae commendaverat, rationem uberius explicandi ac tuendi. Quod eum strenue fecisse novimus, et in op. mox memorando: *Bijdrage tot de beschouwing van de waarheid* caet. p. 519 seqq., et denuo in disp. modo laudatae *praefatione.* De placitorum, quae hic explicuerat, *novitate* haec lacessitus dixit auctor, cujus omnibus nota est modestia et veracitas: » *Ik weet niet*, » *dat datgene*, *wat ik in dit werk* [over de meetk. bepalingen]

monstrabit, quam salutari consilio et quam felici successu id egerit, ut recte atque accurate cogitandi effectricem et adjutricem discipulis redderet Mathematicam, atque ut per hanc adeo magistram veri sensus in eorum mentibus acueretur. Dictu enim difficile est, quam ardens *veri* non tantum *quaerendi*, sed *inveniendi* etiam et profitendi desiderium candidum Philosophi pectus veluti incensum teneret et inflammatum. — Verum a *Mathematices* initiis, infinito fere spatio mente et cogitationibus percurso, illius laudator ad siderum altitudinem atque Astronomiae sublimitatem sese tollat et secum aequales rapiat oportebit. Id enim ipsi spectandum erit, ut, qualis *ille* fuerit *Astronomus* omnes intelligant, ex cujus ingenio et alia in hoc genere scripta exstiterunt, et admirabilia illa de *coelo stellifero* et *de universi magnitudine corporumque coelestium ordine.* Quo postremo judicibus idoneis oblato, Wredio, Mathematico veterano, pal-

---

» *getracht heb aan te wijzen en te ontwikkelen, in eenig werk* » *van een' ander voorkomt.*" Caeterum, si tales inter *Mathematicos*, quorum neutri summum ingenii acumen et maturitatem quisquam abjudicaverit, de primis *Matheseos* initiis et definitionibus tam acris et tam diuturna exstitit dissensio; non est sane quod animum despondeant Jureconsulti aut Medici aut Theologi, ubi, in suis singuli disciplinis, plura repererint incertiora. — Ut unum hoc adjiciam; Schröderus, quam aequus esset et vere liberalis disciplinarum judex et in totâ vitâ literatâ demonstravit, et ubi haec (in *Elementis Matheseos purae*, *P.* I. *p.* 48) professus est: » *Longe maxima* » *pars*," ait, » *eorum*, *quae vera esse existimamus*, *mathematicâ ratione neque tractari possunt neque debent*, *quoniam veritas eorum experientiâ*, *testimonio et sensu nititur.* — *Cavendum est*, *ne nos nimium ad Mathematicas disciplinas adstringamus.*"

mam praeripuit juvenis ipse. (1) Tum per *Physices*, et antiquae et recentioris et recentissimae, campos immensos ita SCHRÖDERO comites ducat lectores velim, ut eum in nullâ eorum parte aut latebrâ hospitem fuisse, ubique veluti civem fuisse et habitâsse, nemo non videat.

Tum ad alteram pensi partem progressus, quem excitare volumus, scriptor aut orator Collegae, cujus nunquam obliviscemur, non minora, ne quid amplius dicam, merita fuisse demonstrabit *Theoreticam* in *Philosophiam.* In nobilissimam illam, inquam, Philosophiae partem, quae postremis his annis, cultorum suorum argutiis discidiisque, in tantam permultorum aut contemtionem aut invidiam adducta est, ut qui nunc etiam ejus innocentiam atque honorem strenue tuitus est, suâ aetate ejusque vitiis major fuisse ac meliora

---

(1) SCHRÖDERUS, cujus ingenium *sublimia* et acriter sentiebat et contemplari gestiebat, cujusque pectus *pietatis* suae in Deum alendae pabulum ubique quaerebat, non potuit non *Astronomiâ* vehementer delectari, quâ non *sublimior* est alia Philosophiae Naturalis pars, quaeque magis nos ad Deum adorandum impellat. — Hic Collegae et *orationes* significavi, infra laudandas, et vero disputationem, quâ ad hanc quaestionem respondetur, quam docta proposuerat *Societas Harlemensis:* » *Wat mag men van de uit-* » *gestrektheid der wereld en de orde*, *in welke de hemelligcha-* » *men*, *ook met opzigt tot ons zonnestelsel*, *geplaatst zijn*, *sedert* » *de waarnemingen der latere Sterrekundigen*, *bijzonder die van* » HERSCHEL *en* SCHRÖTER, *als wel bewezene of hoogst waarschijn-* » *lijke waarheden*, *vaststellen?*" — Haec juvenis, qui tunc *sacri Ministerii Candidatus* erat, disputatio aureo praemio ornata est, quo tempore argenteo commentatio donabatur ERNESTI FREDERICI WREDE, Professoris Berolinensis. Vidd. *Natuurkundige verhandelingen van de Bat. Maatsch. der wetenschappen te Haarlem*, *D.* II. *St.* 1; *Haarl.* 1803.

tempora praeparâsse censendus sit. (1) In gravissimâ illâ igitur, quam dixi, disciplinae parte si forte, per rerum copiam et varietatem, omnia, quae SCHRÖDERUS persecutus est, attingi non poterunt; docendum certe erit, *Dialecticam* eum ita tradidisse, ut eam spinis vepribusque, quibus antiquitus implicata jacebat, expediret ac liberaret, nec quidquam tamen de *Aristotelicâ* remitteret demonstrandi subtilitate. (2) — Verum in nullâ Philosophiae parte magis regnâsse mihi vide-

---

(1) SCHRÖDERUM memini orationem mihi monstrare JOH. FRED. HERBARTII, Goettingensis Philosophi gravissimi ac religionis Christianae amantissimi, ante hos quatuor fere annos defuncti; ubi hic, plane assentiente Collega nostro, de neglectâ hodie, (neque enim diu ante illius obitum habita erat oratio) *Theoreticâ Philosophiâ* vehementer conquereretur. Uterque, si bene memini, *identitatis* imprimis doctrinae absurda commenta incusabat, nec alias tamen caussas accedere dissimulabat. — Eodem autem, quo HERBARTIUS obiit, anno, SCHRÖDERUS (*Meetk. bepalingen*, a. 1841. praef. p. 5) opus suum *de cognitionis humanae initiis*, *quandoquidem de Theoreticâ ageret Philosophiâ*, a paucis civibus nostris lectum iri sese exspectare professus est. — Nec sane passim vacantes *Metaphysices* cathedrae in magno illam honore esse demonstrant. — O miseram illam *Metaphysicam*, quae nulla vehicula per ferreos tramites, vi athmicâ adhibitâ, propellere docet! Illius caussâ pervelim ut quae, his ipsis diebus, de tristi hujus annotationis argumento, in Instituti regii consessu, Senex dixit, annis venerabilis et meritis, brevi publici juris fiant.

(2) De eorum, quae hic dixi, veritate nemo dubitabit, qui, ut par est, legerit et relegerit et in succum ac sanguinem converterit praeclarum opus, quod dicitur: *Elementa Matheseos purae. Pars I. Prolegomena de Matheseos ratione, partibus atque methodo; quibus addita sunt praecepta nonnulla* [immo permulta, perquam egregia, concinne ordinata] *Logica in usum eorum, qui Matheseos studium cum Logices et Litterarum humaniorum studio conjungunt; Traj. ad Rhen.* 1831. Operis, quod longe plura lectori cognoscenda offert, quam inscriptio annuntiaverat, *Pars* II *ibidem* edita est a. 1834.

tur Collega, quem lugeo, quam in *Anthropologiâ*, nec ulli luculentius profuisse doctrinae. Permulta ejus hoc in genere monita, ut inexspectatae cujusdam novitatis gratiâ lucent, ita ex intimis animi nostri recessibus hausta sunt. Et tam clara tamen eadem, ut nulla pellucidior aquae gutta; tam nativas habent veri notas, ut sese quoque ipsum, nullo monitore, eadem videre potuisse et explicare facile quis putet. Quocirca optime meritis Anthropologiae interpretibus illum annumerandum esse, docendum erit, et exemplis, quae passim scripta ejus offerunt, allatis probandum. (1) — *Ethicam* tradens se ipse superavit, atque admiratores habuit, non tirones tantum academicos, sed disciplinarum Doctores et sacrorum Antistites, qui, ante hos aliquot annos, illius, quae *Moralia* tractabant, scholas, frequenter et cupide adire consueverant. Quod igitur de iis aequales noverunt et professi sunt, ne posteri ignorent cavendum erit. — Deinde ad illud SCHRÖDERI opus considerandum accedet, qui ejus merita celebrare

(1) Collegae, quae huc pertinent, scripta praecipua infra memorabuntur. Paucissimi in patriâ fuere nostri aequales, qui *Anthropologiam*, praestantioribus libris vel commentationibus editis, ornarent; nemo, qui SCHRÖDERO hoc in genere dubiam facere posset palmam, nisi unus GUILIELMUS ANT. OCKERSE. Hic cum praestantissimi operis: *Vruchten en resultaten van een zestigjarig leven*, (*Amst. ed.* 2 1825) duos priores Tomos, nomen non professus, edidisset, Tomo III posthumo praemissa est *auctoris vita*, conscripta a TYDEMANNO et CLARISSIO; ubi, p. 106 seqq., de meliorum scriptorum anthropologicorum, quâ Batavi laboramus, penuriâ lectu dignissima afferuntur monita. — Quicunque *hominem*, *sicuti est*, cognoscere vult, ne vel OCKERSII vel SCHRÖDERI scripta ignoret videbit.

instituet, quod, quoniam vel solum ad auctoris nomen ab oblivione vindicandum sufficit, *immortale* dixi, *de cognitionis humanae initiis* sive *principiis.* (1) Ostendet igitur, quam caute et quam feliciter medio veluti aequore et ipse scriptor sapientissimus naviget, et navigare doceat lectores, ut hinc minitantem *Dogmatismi*, de *vero invento* gloriantis, arrogantiam, illinc inhiantes *Scepticismi*, de *vero inveniendo* desperantis, dubitationes tuti effugiant ac praetervehantur. Demonstrabit, quam longe docta operis acutissimi subtilitas a populari levitate recedat ac differat *Anglicae* illius, sive *Scoticae* Philosophiae *sensûs communis*, quâcum primo obtutu conjunctionis quid ac similitudinis auctoris placitis intercedere videri possit. (2) Tandem ut accurate videant lectores curabit, quam indubiâ evidentiâ in *communi* et *generali* omnium *con-*

---

(1) *Bijdrage tot de beschouwing van de waarheid der menschelijke kennis.* (*Gedenkschriften, in de hedend. talen, van de derde Klasse van het Kon. Nederl. Instituut, Amst.* 1836). Nimis modesta haec denuo inscriptio operis, quod cum adjectâ annotatione 524 formae quartae paginas complexum, de omnium difficillimo Philosophiae Theoreticae problemate disputationem habet, suis numeris partibusque absolutam. Vix aut ne vix quidem mihi a describendâ ac reponendâ tempero *praefationis clausulâ;* unde de consilii, quod ad scribendum impulerit auctorem, sanctitate luculenter constat.

(2) His dictis non id mihi volui, ut *Scoticam* vituperarem disciplinam, quam professi sunt Beattius, Oswaldus, Reidius, quae ipsum adeo Hennertium, Virum acutissimum, quodammodo suffragatorem, certe propagatorem invenit. Sed nolim gravis armaturae Philosophi, in quibus principem locum Schrödero tribuent posteri, eodem numero habeantur, quo Velites, laude non indigni quidem illi, sed, in Philosophiae acie, ludentes potius adversarios, quam vincentes.

scientiâ mortalium cognitionem fundaverit eximium hoc praeclari ingenii ac doctrinae monumentum.

Tertiâ denique, gravissimâ eâ, parte disquisitionis, quam mentibus nostris et votis anticipamus, hodiernum describendum erit ac deplorandum *Philosophiae* fatum et conditio; quandoquidem ex unâ et individuâ, suis partibus arctissime nexâ disciplinâ, duas haud pauci aequales fecerunt finxeruntque *Philosophias*, alteram *Naturalem*, alteram *Theoreticam*. Quas ita in certamen committere multi non reformidârunt, quasi *Physicae* nulla acrior exstiterit adversaria, quam *Metaphysica*, *huic* acerbior nulla hostis, quam *illa*, veluti sortito obtigerit. Quam pestiferam cladem Schröderum fuisse, prae caeteris fere omnibus Schröderum, qui ab *unâ* illâ longe nobilissimâ disciplinâ efficaciter depellere conaretur et avertere; id vero demonstrabit, explicabit, ad omnium veluti intuitum aperiet Viri magni, si quis exsistat, dignus illo laudator. (1) —

---

(1) Quae dixi si quis copiose confirmata videre vult, is a legendâ incipiat Schröderi oratione, quam debito ipsius praestantiae epitheto vix ornare possum, *de nostrâ cognitione animi, comparatâ cum cognitione rerum corporearum;* in *Annall. Ac. Rheno-Traj. a.* 1823 - 1824. Ubi prae caeteris locus perpendatur, qui, p. 9, hoc habet initium: » *Quodsi cui mirum videatur*," ait auctor, » *me, Philosophiae defendendae causâ, patrocinium susci-* » *pere Psychologiae contra Physicam, quasi Physica ipsa non* » *sit pars Philosophiae, is consideret velim, quam misere re-* » *centiore aetate lacerata fuerit Philosophia. Ut enim quondam* » *Polonia, pacis et concordiae conciliandae causâ, dividebatur* » *per regna finitima, cum aliud alias terras avelleret, suaeque* » *ditioni adjiceret; ita alias partes Philosophiae aliae doctri-* » *nae — sibi vindicarunt.*" Desinit autem locus, quem, si excurrere liceat, totum excerpere velim, in flebili hâc auctoris voce:

Itaque concludamus tandem. Ipsum illum, quem lugemus, Philosophiae statorem, sicuti par est, celebrare nos quidem non possumus; cum praesertim non major fuerit ingenii, quam animi bonitate; non homines

---

» *Philosophia*," inquit, » *quae quaerit id*, *quod unum*, *simplex*, » *absolutum est*, *ipsa in duas partes dissecta fuit*, *alteram naturalem*, *alteram non naturalem*, *sive theoreticam. Naturalis* » *Philosophia jus suffragii adepta est in doctrinis accuratis*, » *theoretica autem ad literas humaniores migravit.*" Nec magis lectori, qui continuo sequitur, locus negligendus est, cujus initium tantum reponam: » *Hâc autem comparatione* [Physicam inter » et Psychologiam] *institutâ*, *nemini dubium esse potest*, *sensui* » *interno vel majorem vel certe non minorem tribuendam esse fi-* » *dem et auctoritatem*, *quam sensui externo. Possunt fallere* » *oculi*, *possunt aures*, *potest tactus; sensus internus fallere ne-* » *quit;*" caetera. Illâ igitur in oratione, per comparatam *Physicam*, egregie illustratur confirmaturque *Psychologia.* — Sed jam, lecto ejusdem auctoris opere *de cognitionis humanae initiis*, perpendatur et attendatur, quomodo ibi et his ipsis et universe *Metaphysices* principiis, per diligenter collata ejusdem *Physices* decreta, tum lux afferatur, tum praesidium paretur. — Non minore vel acumine vel sapientiâ Schröderus, qui plura, quam promiserat, docere solebat, quo libro *Elementa Matheseos purae* sese traditurum professus erat, eodem, quâ ratione de argumentis, vel physicis vel metaphysicis vel aliis quibuscunque, ex *Dialectices* legibus, ratiocinandum sit ac disputandum, exposuit et demonstravit. Quo factum est, ut si tali huic *Mathematico* docilem praebueras aurem, eâdem operâ *Logices* saluberrimis praeceptis imbutum te videres auctumque. — *Metaphysices* gravissima sane, sed eadem difficillima pars *Philosophia de Deo rebusque divinis* habenda est. Haec autem quomodo et cum *Physicâ* universâ et singulatim cum *Astronomiâ* copulanda sit, quomodo utriusque auxilio illustranda et stabilienda, multis locis te docebit accurate denuo consultum, quod saepius memoravimus, *de nostrae cognitionis initiis* classicum opus. Quocum autem hic omnino conferenda est inauguralis Collegae nostri oratio *de majoribus corporum coelestium permutationibus*, *quatenus ex iis progressum naturae in his corporibus formandis suspicari licet;* in *Supplem. Ann. Acad. Rheno-Traj. a.* 1815-1816. Ubi et alia huc pertinentia leguntur eximia moni-

magis indefesso optimarum rerum studio demeruerit, quam Deum immortalem sincerâ et constanti coluerit pietate. Sed qui illum, ut revera fuit, posteritati cognoscendum et admirandum proponet, eum sibi magis, quam SCHRÖDERO, *monumentum aere perennius* erecturum et nos censemus, et nobis assentient quicunque sanae Philosophiae studiosi sunt et amantes! — Tuum quidem casum dolemus, praestantissime idemque mihi

ta, et haec, (*p.* 143 *sqq.*) quae pium sapientemque auctoris animum et philosophandi modum clare nobis informant: » *Ne alias* » *meditationes* [quarum mater est Astronomia] *memorem*," ait, » *quae*, *quaeso*, *gravior esse potest*, *quam si divinae Providen-* » *tiae sanctâ veneratione pleni*, *coelum suspicientes*, *coelestium* » *rerum permutationes* *cum iis*, *quae in terris accidunt*, *compa-* » *ramus?*" — » *Atque hae omnes mundi partes* [quas in proxi- » me superioribus recensuerat orator] *constitutae sunt*, *omnique* » *tempore administrantur numine praestantissimae Mentis*, *mag-* » *na curantis*, *parva*, *nos ipsos*, *non negligentis*."

Verum quid singula persequor? Quamdiu his in terris vixit SCHRÖDERUS, nec de male divulsâ utrâque Philosophiae parte principe conqueri desiit, nec quomodo utraque copulanda sit et pariter excolenda, copiose docere. Universe mundum *moralem* per *physicum*, *hunc* per *illum* illustravit. Collatis utriusque initiis, progressibus, incrementis, decrementis, visis (*phaenomenis*, ut vulgo ajunt) cursibusque, quaecunque *et* hic veluti mundus *et* ille nobis contemplanda offert, *unam* naturarum rerumque compagem esse immensam, et ipse vidit et alii ut viderent effecit. Ubi conjuncta esse demonstravit, quae longissime a se invicem remota videntur, harmonicâ ratione concinere, quae maxime disparia; ita volente nimirum et moderante omnium auctore et domino Deo immortali.

Quaerisne Tu, qui SCHRÖDERI Philosophiam exponere instituis, breve aliquod apophthegma, quo prodito de illius vi et ratione in antecessum lectori constet; disputationi tuae hoc POPII, Poëtae Anglici, dictum praescribas, ex *Schröderiani Theismi* sanitate et sobrietate accipiendum illud:

» *All are but parts of one stupendous whole*,
» *Whose body Nature is, and God the soul.*"

amicissime SCHROEDERE VAN DER KOLK! qui talem amiseris Socerum; cui ita carus eras, ut de Te Genero non laetari tantum soleret, sed, quo erat candore, palam exsultare. Sed quem Tu summo jure defles, eundem Tecum et nobiscum omnibus Patria luget; lugent, inquam, *Physica* et *Metaphysica*, quas, si sapientissimis Soceri tui vocibus obtemperare vellent utriusque cultores, pristinis depositis odiis, aeternae jungeret foedus amicitiae!

III.

Si tristia, quin tristissima, memoranda habuit altera nostrae orationis pars; jam laetiora nobis alia vel dicenda supersunt vel agenda. Haec, Vobis non nolentibus, Auditores! *tertiâ* complectamur ejusdem orationis *parte*, quae, ut recordatione minus funesta, ita argumento nobis brevior erit.

Hic igitur Tu primus mihi publice salutandus est, WENCKEBACHI, Vir clarissime! Felicem Te praedicamus, qui tanto Viro, qualis SCHRÖDERUS fuit, ut *Naturalem* quidem *Philosophiam* doceres, successor datus est; eidem illi, cui discipulum te olim demonstraveras magistro dignum. Provinciam enim accepisti, et per se honorificam, et per tantam decessoris tui gloriam novo veluti splendore nobilitatam. Illam igitur ut diu tuearis, in Academiae salutem atque in gravissimae doctrinae emolumentum, nos optare omnes Tibi persuadeas rogo!

Quo acerbiora nobis, Auditores! Collegarum funera acciderunt dilectissimorum; eo magis, supra aetatis modulum, vigere laetamur Ordinis Professorum Nestorem, qui jam solus nobis reliquus est, Janum Kopsium; — bonae valetudini redditos nos videre, aut convalescentes certe, et Brueysium et Holtium et Visscherum et Groenewoudium. Tibi autem, amicissime Loncqui! quem, ante hoc ipsum biennium, antiquae disciplinae Hippocraticae vindicem strenuum audivimus, ita paullatim corporis vires restitui, ut animi tui vigori atque ἐνεργείᾳ magis magisque respondeant, est sane quod impense gaudeamus, nec ultimus ego gaudeam; cui, iterum Rectori, Tibi, Senatûs Actuario, utriusque muneris necessitudine jungi contigit.

Verum orationi, quae a me, memoratum magistratum abdicaturo, habenda erat, jam finis est ponendus. Utinam igitur praesentem compellare mihi liceat, praesenti novum honorem gratulari Georgio Guilielmo Vreede, Juris Antecessori clarissimo, Successori designato atque inaugurato! Quem vero cum adversa detineat valetudo, absentem, decreto regio obtemperantes, proximi anni academici *Rectorem Magnificum* dicimus ac renuntiamus. Cui, si tristiora sunt muneris auspicia, eo faustior sit ac felicior ejusdem cursus et exitus, Vos mecum vovetis omnes, voveret ipsa, si vocem emittere posset, Academia Rheno-Trajectina! (1)

---

(1) Mox convaluisse Virum magnificum, Academiae nobisque carum, laetati sumus omnes.

Jam illud mihi agendum restat, quod, quantum novimus, nemini licuit eorum, qui, patrum aetate, nostras Academias, ornârunt, Professorum aut Rectorum. Bene meritis enim juvenibus praemia solenniter tradenda sunt, quae iis Collegarum meorum voluntas adsignavit et *artes honore alendi* studium. Quod igitur Vobis non improbantibus ac praesentibus agi laetamur, Curatores amplissimi! nec renuente, quin volente Rectore Magnifico, modo antea proclamato; id ita agatur, quaeso, Auditores humanissimi! ut Vos animo, vultu, linguâ favere demonstretis, non mihi, qui Collegarum tantum liberalitatis minister sum, sed singulis his quinque juvenibus, trium, quae patriam illustrant, Academiarum civibus. Quo facto Vos imprimis, amicissimi Commilitones! ubi Professores Rheno-Trajectinos, Leidensibus etiam et Groninganis doctrinarum Studiosis praemia donantes conspicitis, quam firmum velitis demonstrabitis conjunctionis illud vinculum, quod, majorum sapientiâ nexum, nostris studiis constrictum, omnes, quas dixi, copulatas tenet bonae mentis officinas. Verum Tu imprimis, O Pater lucis aeterne! Tibi honorificum, patriae ac literatae civitati salutiferum reddas, quem cogitamus, actum precamur!

[Primum jam *Theologorum* recitato programmate, hanc eos Academiarum atque Athenaeorum civibus quaestionem proposuisse intellectum est: » *Ita* prior » epistola Petri *cum orationibus dictisque comparetur,* » *quae eidem Apostolo tribuit in Actis* Lucas, *ut His-*

» *torici, et illas et haec referentis, fides appareat ac*
» *veracitas.*" Ad quam quaestionem cum quinque allatae fuissent commentationes, magnae eaeque *pares* laudes binis tributae erant disputationibus, quarum alteram scripserat Johannes Hooykaas Herderschee, *Phil. Theor. Litt. hum. et Theol. Cand. in Acad. Lugduno-Batavâ*; alteram Ubbo Petrus Okken, *Phil. Theor. Litt. hum. et Theol. Cand. in Academiâ Groninganâ.* Quorum si *illum* priorem nuncupamus, sola caussa est, quod, *sortibus conjectis*, ei aureum praemium obtigerat, aemulo, non minus bene merito, argenteum. Sed tertia etiam quaedam allata erat disputatio, quam et ipsam *tam egregia prodere industriae ac judicii documenta* censuerat Ordo, ut honorifico laudis testimonio publice ornandus esset auctor; quem esse apparuerat Fredericum Guilielmum Bernardum van Bell, *Phil. Theor. et Litt. hum. Cand. Theol. Studiosum in Acad. Lugduno-Batavâ.* (1) Tres igitur hi juvenes ita nunc compellati sunt:]

Macte vestrâ illâ virtute estote, Johannes Hooykaas Herderschee et Ubbo Petre Okken et Frederice Guil.

(1) Fuit etiam *quarta* quaedam commentatio, quae, etsi, laborante Latinitatis et interpretationis ratione, praemium reportare non posset, *multa tamen et doctrinae et industriae documenta contineret;* insignita illa Olshausenii dicto: *Nun muss man nicht auf buchstäbliche Wiedergabe u. s. w.* Quod eâ tantum de caussâ ex *Ordinis judicio* hic reponendum duxi, ut, si haec fortasse auctor nobis ignotus legeret, eo meliora de suorum studiorum theologicorum exitu speraret, certe strenue pergenti sibi non desperandum esse videret.

Bern. van Bell, Commilitones ornatissimi! Nam ad singulos Vos ea laus pertinet, non mediocris illa profecto, quod juvenili jam aetate, felici successu, illas, quae cum coelesti Christi doctrinâ arctissime junctae sunt, historias tuendas susceperitis et defendendas! Quae igitur laus Vobis obtigit eximia, iis animis hanc accipiatis velim, ut per illam concessam Deum ipsum Vobis monstrâsse censeatis, quâ potissimum viâ Christi societatem demereri possitis. Neque enim de lanâ caprinâ litigantes eritis Theologi; sed, *Petri* potius vestri caeterorumque Apostolorum vestigia atque auctoritatem secuti, ne, per mortalium temeritatem, sanctum Christi templum violetur aut profanetur, quâ maximâ poteritis virium contentione, curabitis atque annitemini.

Priores jam Vos huc accedite, Johannes Hooykaas Herderschee et Ubbo Petrr Okken, in literato hoc certamine victores! Praemium accipite, laetatus uterque, quod sive aureum sit sive argenteum, fere perinde est. Sed, in quo summa rei vertitur, quoties id cunque contemplabimini aut amicis spectandum dabitis, in memoriam Vobis officium revocetur *Euangelii* commendandi ac propagandi, quod pretiosissimo vel auro vel argento pretiosius est et perennius.

Sed Tu etiam huc escendas, Frederice Guil. Bern. van Bell, juvenis ornatissime! Hoc Tu testimonium

accipe honorificentissimum. Eo lubentius id Tibi trado, quoniam publice profiteri non dubito nonnulla certe tuam continere disputationem, quae me, Theologum veteranum, scripsisse non poeniteret. Et quidni, cum nomen nos tuum non celaveris, tuam laudem *modestiam*, quae hujus Tibi testimonii tradendi nobis opportunitatem dederit? Scito Tu in nullos certius, quam in *modestos*, Christi dictum convenire, ubi: *Posteriores multi*, ait, *priores aliquando futuri sunt.*

[Praelectum jam *Literatorum* judicium hanc eos posuisse quaestionem docuit: » Oratoris *forma*, *a* Cicerone *in libro*, *qui* Orator *inscribitur*, *adumbrata*, » *explicetur et ad eloquentiae naturam*, *munus*, *ra-* » *tionem exigatur.*" Huic quaestioni ut responderetur, una oblata erat disputatio, auctore, quod exitus docuit, ARENTIO GERARDO JANS, *in Acad. Rheno-Trajectinâ Phil. Theor. et Litt. hum. Cand. Theol. Studioso.* Haec autem commentatio, de eorundem Literatorum judicio, *diligenti partitione*, *perspicuitate*, *concinnitate*, *orationis etiam bonitate*, *eum in modum se commendat*, ut dignissimam eam censuerit Ordo, quae aureo praemio condecoraretur. Quocirca haec auctori dixit Professorum interpres:]

Huc igitur egrediaris, ARENTI GERARDE JANS, juvenis amice! Duplici Tu nomine, quod gaudeas ac laeteris habes. Nam et *principibus placuisse Viris haud ultima laus* est, et *illi scire* licet *se profecisse*, *cui Ci-*

cero vehementer placuerit! Nec vero Tu in levioribus haesisti ac vulgo legi solitis illius scriptis; verum in intimos Te insinuâsti Tullianae eloquentiae recessus ac penetralia. Nec Te deterruit propositae quaestionis, quam nonnulli esse putabant, difficultas; impulit potius pietas erga depressos fratris obitu, quos recreare volebas, parentes. Tu autem, *Cicerone* potissimum interpretando, quo nemo Romanorum vitâ sanctior fuit, doctrinâ copiosior, eloquentiâ admirabilior, ad sanctiora etiam et sublimiora monumenta explicanda tuum ingenium conformare voluisti et praeparare. Quod quam gratum feceris Praeceptoribus, hic Tibi documento sit, quem trado, nummus aureus!

[Professores *Matheseos et Philosophiae Naturalis*, ad eam, quam proposuerant, *quaestionem chemico-physicam de quantitatibus caloris, in combinationibus chemicis evoluti*, explicandam, unam acceperant commentationem, cujus auctorem esse postea apparuit Janum Henricum Croockewit, H. Filium, *Matheseos et Philosophiae Naturalis, in Acad. Rheno-Trajectinâ, Candidatum.* Nam et hicce juvenis, et qui supra memorati sunt omnes, disquisitionibus institutis, earum, quas suo nomini vindicaverant, commentationum revera sese auctores esse abunde probârunt. Cum autem nec *Jûreconsultorum* nec *Medicorum* quaestiones, nec *altera Mathematicorum* quaestio, ulla tulissent responsa; ultimum in hoc laudis stadio, quem dixi, Commilitonem ita compellavit orator:]

Nec Tu igitur diutius ab hoc honoris loco absis volo, Jane Henrice Croockewit, H. fili, juvenis nobilissime! Abditos naturae recessus indefesso labore scrutari; id, et florente et senili aetate, magnis illis, quos celebravimus, Viris curae cordique fuisse intellexisti. *Naturam scrutari* adolescens incepisti, nec, nisi nos vota fallant, annis maturus desines. Quod pensum, ut nunc tibi et placuit et honorificum fuit, ita, per totum vitae tuae curriculum, ad suavitatem jucundissimum Tibi maneat, ad fructus uberrimum! Quâ viâ, Tua per studia, novum splendidae tuae genti decus, dilectissimis parentibus gaudium, patriae parabitur emolumentum. Eo igitur animo hunc accipias velim nummum aureum, ut Tibi persuadeas, nullas auri fodinas in possidentium pectoribus tam puras laetitiae venas aperire, quam cognita et perspecta naturae Parentis opera piis Illius cultoribus ostendant et recludant!

Vos autem, Commilitones! qui nunc laudes tulistis, in iis acceptis non torpide acquiescetis. Propositam Vos nondum attigisse metam, sed ad eam, duplicatâ identidem atque adauctâ assiduitate et constantiâ, properandum esse quotidie, confido, Vobis in memoriam revocabitis ipsi. — Nec Vobis magis scriptum est *constantiae* hoc officium, quam et mihi et Auditoribus et Academiae universae. Per duo jam secula totidemque fere lustra, bene meruit et adhuc bene mereri

pergit de patriâ doctâque Europae civitate Rheno-Trajectina haec doctrinarum Universitas. In nullis, quod malevoli criminantur, laureis avitis acquiescens illa, multis disciplinarum sedibus superest, non suae superstes gloriae; quae ipsius Numinis Divini gloria est, mortalium res omnes moderantis, eamque adhuc praesentissimo sustentantis auxilio. *In Tuum utinam honorem, O Deus immortalis! tendat et conducat quod illa cunque vel nunc agit moliturque, vel olim persequetur! Qua immeritâ benignitate dicentis infirmitatem et toto hocce anno sustinuisti et hâcce horâ; eâdem bonitate omnes sustineas, qui nunc sunt et olim erunt, Academiarum et Curatores et Professores et Studiosos. Ad beatorum animorum concilium, ad quod Tu* Alexandrum *jam nostrum et* Fremeryum *et* Schröderum *admisisti, et quotquot, sicuti illi, Tuâ unius Christique benevolentia freti, bene actae vitae gratuita praemia sperârunt; ad idem animorum concilium nos tandem adducas nostrosque omnes, petimus supplices et precamur!*

Dixi.

NOTATIO SCRIPTORUM,

quae in lucem edenda curavit

FREDERICUS SIGISMUNDUS ALEXANDER. (1)

Diss. de tumoribus nervorum. V. supra orat. p. 38.

Over de zoo genoemde verharding van het celwijsweefsel. In de *Jaarb. der Genees- Heel- en Natuurkunde, door het Genootschap:* Arti salutiferae. 1813.

Waarneming eener Hersen-ontsteking. In *Hippocrates, Magazijn. D.* IV. 1817.

Verhandeling over het Hospitaal-versterf. Aldaar, *D.* V. 1818.

Geneesk. waarnemingen omtrent het Sulphas Chininae. Aldaar, *D.* VI. 1819.

Verhandel. over de Lies- en Dijebreuken; Amst. 1821.

Waarneming eener, door de natuur verrigte afscheiding van den linker arm. In de *Nieuwe Verhandd. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amst.;* 1822.

Verslag nopens eene opterigten Maatschappij ter bevordering van de Genees- en Heelkunde ten platten lande. In *Alg. Konst- en Letterbode;* 1823.

Verhandeling over het afwisselend, algemeen Ziektekarakter enz.; *Arnhem*, 1829.

---

(1) Ita, pag. etiam 35, Viri optimi nomen a me scribendum fuerat.

Mededeelingen omtrent de besmettelijkheid van den kwaden Droes voor den mensch, door waarneming nader bevestigd; Utrecht, 1833.

Waarnemingen over het delirium tremens. In het *Practisch Tijdschrift van Dr.* Moll *en Dr.* van Eldik; 1833.

Waarneming eener bijzondere wijziging der Waterzucht. Aldaar; 1833.

Iets over de levertraan (Oleum jecoris aselli) *in een geval van Tering.* In de *Alg. vad. Letteroefeningen;* 1835.

Bijdragen tot de ontleedkundige Ziektekennis. In het *Practisch Tijdschrift van Dr.* Moll *en Dr.* van Eldik; 1835.

Bedenkingen omtrent de stelling van A. Petzholdt: » Es giebt Pocken auf innern Theilen." In *Wenken en Meeningen van Dr.* Heije; 1839.

Inwijdings - rede; Amst. 1843. Vid. supra, p. or. 36.

Caeterum, cum in Viris doctis esset Alexander, quibus *leges medicas revidendas* mandâsset regium d. 20. Novembr. 1841 decretum; *pluribus* sese aggregans pensi memorati sociis, ubi dissentiebant *pauciores*, de gravissimo argumento ad Administrum regium rerum internarum retulit, scripto consignato, quod postea publici juris factum est. Cujus tamen non omnia dicta et consilia probantem eum habebant. (1)

(1) Hoc enim Virum candidum postmodum coram amicis non dissimulare memini.

Scalpellus Neêrlandicus, quod opus medicum, supra p. 36 et alibi a nobis memoratum est, cujusque *cursui annuo quinto* et *sexto* praefuit ALEXANDER, plures continet, ab illo profectas, de artis salutaris locis observationes et monita graviora.

HUFELANDII *Journal der praktischen Heilkunde* plures consignavit illius, de quo dicimus, symbolas archetypas.

Tandem operis Anglici, auctore HUMPHRYO DAVY, ubi *ultimi dies Philosophi* descripti dicuntur, ALEXANDRO debemus interpretationem Batavam.

NOTATIO SCRIPTORUM,

quae in lucem edenda curavit

NICOLAÜS CORNELIUS DE FREMERY.

Diss. philos. inaug. de fulmine; L. B. 1790. 4.

Diss. medica inaug. de mutationibus figurae pelvis, praesertim iis, quae ex ossium emullitione oriuntur; L. B. 1793. 4. De utrâque hâc dissertatione vidd. supra dicta, p. 45.

Kort berigt wegens de kwaadaardige koorts, welke in Philadelphia heerschte; door R. Carey. *Uit het Eng. vert. door* N. C. de Fr.; *Haarl., bij Loosjes*, 1794.

Oratio de arctissimo, quo Chemia cum physicis scientiis conjungitur, vinculo; Traj. ad Rh. 1795. 4.

[*Oratio de studio Historiae Naturalis, egregio ad formandum bonum civem adminiculo*, a. 1801 a Rectore Magnifico, munus abdicante, habita, edita non est.]

Grondbeginselen der Scheikunde, door Lavoisier, *uit het Fransch vertaald, met aanmerkingen en bijvoegselen vermeerderd door* N. C. de Fr. *en* P. van Werkhoven; *Utrecht, bij v. Paddenburg en zoon*, 1800, 2 deelen, 8.

Grondbeginselen der Scheikunde, op de kunsten toegepast, door J. A. Chaptal; *vertaald en met aanmerkingen vermeerderd door* N. C. de Fr.; *Amst. bij Holtrop*, 1808, 8.

Waarneming van eene zeer aanmerkelijke ontaarding enz. In de *Verhandd. der eerste klasse van het Kon. Ned. Instituut, D.* V. 1820.

Oratio de Chemiâ et arte Pharmaceuticâ caet. Vid. supra p. 47.

Over het beveiligend vermogen der Vaccine. In de *Alg. vad. Letteroefeningen*, N° 3 van het Mengelwerk 1824.

Over eenen hoorn en een gedeelte des bekkeneels van Bos primigenius. In de *N. Verhandd. der eerste Klasse van het Kon. Nederl. Instituut, D.* III, 1831.

Bijdragen tot de kennis der Fossile Zoogdieren in de Nederlandsche gronden. In dezelfde *Verhandelingen*, 1840.

Over de Kristallisatie van het Keukenzout. In de *Bijdragen tot de natuurkundige Wetenschappen; D.* I. *bl.* 121 *volgg.* 1826.

Over den Crocodilus biborcatus. Ald. *D.* III. *bl.* 329 *volgg.*

Bijdrage tot de natuurlijke geschiedenis van den Walrus en de kennis der verscheidenheden, welke onder deze dieren voorvallen. Aldaar, *D.* VI, *bl.* 360 *volgg.* 392 *volgg.*

Beschouwing van het linker gedeelte des bekkens van eenen Oliefant, in November 1839, *bij Doesburg aan den IJssel gevonden.* In het *Tijdschrift* van het meergenoemde *Instituut, voor* 1842, *N°* 4, *bl.* 324 *volgg.*

NOTATIO SCRIPTORUM,

quae in lucem edenda curavit

JOANNES FREDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER.

Over de Ruimte. In: P. van Hemert, *Magazijn voor de Critische Wijsgeerte; (Amst.* 1799 *volgg.) D.* II, *bl.* 275 *volgg.* Conff. supra dicta, p. 52.

Proeve om de werking der twee grondkrachten, door de zwaartekracht en door den vorm der ligchamen, aan te toonen. Aldaar, *D.* III, *bl.* 102 *volgg.*

Proeve om de werking der uitbreidende en aantrekkende kracht, door de zwaartekracht en door den vorm der ligchamen aan te toonen. Aldaar, *D.* IV, *bl.* 108 *volgg.* Hanc disputationem proxime memoratae *continuationem* esse, ipse monuit auctor.

Quae jam memoranda sequeretur, disputatio gravissima *de mundi magnitudine et corporum coelestium ordine*, praemio aureo a Societate Harlemensi ornata; ea jam accurate a nobis laudata est supra pag. 59.

Redevoering over het gevoel van het Verhevene. Oratio habita in Societate, quae dicitur: *Felix meritis.*

Redevoering over de menigte van vaste starren, aan den hemel geplaatst, en de besluiten, welke wij hieruit kunnen trekken opzigtelijk de uitgestrektheid van het heelal. Oratio in eâdem habita Societate. Binae hae praestantissimae orationes inveniuntur in opere: *Algemeene vad. Letter-oefeningen voor* 1810, *Mengelw. bl.* 129 *volgg. en bl.* 313 *volgg.*

Utroque loco dicitur SCHRÖDERUS: *Kolonel ter Zee, Directeur Kommandant van het Kon. Institut der Elèves voor de Marine.*

Binae *orationes academicae*, altera inauguralis, habita a. 1816, altera a Rectore, munus abdicante, habita a. 1824, supra accuratius laudatae sunt p. 63 sq.

Over den aard der Zielkunde en de werking der terugroepende Verbeeldingskracht; Zalt - Bommel, 1829. 8. (1)

Over de Prikkelbaarheid. Verhandeling, gehouden in de *eerste Klasse van het Kon. Ned. Instituut; Amsterdam*, 1835.

De menschelijke kennis eene Teekens - kunde. In de *Fakkel*, uitgegeven door J. P. SPRENGER VAN EYK, *tiende Jaargang, bl.* 134 *volgg.*

Bijdrage tot de beschouwing van de waarheid der menschelijke kennis; 1832 - 1833. Opus palmarium, quod item dicitur: *Proeve over de waarheid der menschelijke kennis*, supra accurate memoravimus, p. 62.

Elementa Matheseos purae, 2 *Partes.* Vid. supra p. 60 et 64.

Verhandeling over de meetkundige bepalingen. Vidd. supra dicta p. 57.

Berigten en Verhandelingen over de Zeevaartkunde; bij de Wed. G. Hulst van Keulen te Amst. 1837.

---

(1) Praemissa etiam reperitur haec commentatio operi, quod, in Batavorum linguam conversum, dicitur: *Menschkunde met betrekking tot de ziel, door* G. E. SCHULZE; *Z. Bommel*, 1829.

Nieuwe volgorde der genoemde *Berigten en Verhandelingen; aldaar*, 1840. (1)

(1) In hâc Schröderi operum notatione concinnandâ mihi non defuisse cl. Schroederi van der Kolk auxilium, gratus agnosco.

FINIS.









